Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Benjamin Gottlieb Lorenz Boden

Beniam. Gottlib Laurentii Bodeni Antiquit. Professoris In Acad. Viteb. Commentatio De Umbra Poetica

Vitebergae: Dürrius, [1767]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn825580188/phys_0001
DFG

Cq – 1272.1.2
~~C. II. f. 3173~~ 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn825580188/phys_0002
DFG

BENIAM. GOTTLIB LAVRENTII
BODENI
ANTIQVIT. PROFESSORIS IN ACAD.
VITEB.

COMMENTATIO
DE
VMBRA POETICA.

VITEBERGAE
Sumtib. ac litteris CAROLI CHR. DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS.

Jo. Bernh. Koehleri
1768

HORATIVS:

Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?



AD

HAGEDORNIVM

QVEM

NOMINASSE

SVFFICIT.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0007
DFG



Apollinari numine percitus,
Terris relictis, dum peto sidera
Audacibus pennis, vocat me
Castalis atque manu prehendit.

Ambage fallax, per cedrinum nemus
Noua via, quam littera, cortici
Incisa, signabat, sequentem
Duxit Apollineas ad arces.

Postes et aurum marmoreae, dea
Iubente, pandunt cardinibus fores,
Ac visui suprema nostro
Atria praesidis offeruntur.

Quantas habebat murus imagines,
Vtrimque fixas ordine lucido!
Pictoribus mistos, poetas,
Luce pares, radiare vidi.

Vidi

Vidi Pelasgum, Maeoniden, decus,
Vidi Latinos ad latus aemulos,
Vidique Coum Mengsiosque,
Protogenemque Rubensiumque.

Iuxta iocosus stabat Anacreon
Stabant amici. Gleimius, Vzius,
Lessingus Albanusque blandus
Ac Ditericiades et Oeser.

Tyrtaeus audax, Weissius, ac potens
*Burgundus armis *) non aberant procul,*
Et intimus dilecta Flacco
Brachia Klotzius inferebat.

Plures teneri foedere mutuo
Vidi, sed ingens gratia fratribus
Ridebat in binis, et ad se,
Posthabitis reliquis, trahebat.

Duumuiratum dux HAGEDORNIVM
Interpretatur, magnaque nomina
Fingentibus commendat, ipsa
Lauricomono peramica Phoebo.

 Legasse

*) Bourguignon.

Legasse Numen, commemorat dea,
Tantos ad oras Teutoniae viros,
Dulces vt artes potor Albis
Imbiberet meliore gustu.

Haec explicari nomina littera,
Signante rectas ad penetralia
Phoebi vias, haec signa vatem
Artificemque iuuare monstrat.

Ergo paratus iussa sequor, sequor,
Viasque carpo, quas HAGEDORNIA
Gens, artibus virtutibusque
Nobilitata, tenere iussit.

Sic, AEQVE IVDEX, *has operas* TVO
Memor voluntas praesidio dicat,
Vt iste foetus sit sub illo
Tectus, vti cedrina sub vmbra.

LECTO-

LECTORI CANDIDO

S. D. P.

AVCTOR.

Quum animum adpellerem ad academiam, commentationibus quibusdam *de vmbra poetica* docendi facultas mihi erat comparanda, quibus contigit mihi esse tam felici, vt eruditorum pars non exigua illas qualescumque ingenioli mei primitias acciperent sine offensione. Longissime vero tum a me abfuit, vt eorum vel laudatio animum meum inflaret, vel indulgentia caliginem ob oculos duceret, ne meorum ipse errorum partem sensim sensimque conspexissem. Potius ex humani-

manitate tam eximia conieci, se noluisse animum iuuenilem supprimere, sed, meliora de me in posterum sperando, excitare studium, longius in campo elegantiorum litterarum progrediendi. Quomodo igitur pietatem in referenda gratia iis tester certius, quam si, prehensa lima, hoc scriptum ipse, quantum fieri potest, perpoliam, atque inter alia potissimum ea emendem, in quibus docti homines publice a me dissentire viderentur? Quo factum est, vt hisce commentationibus, antea sigillatim editis, curas posteriores adhiberem, atque eas, distractis iam dudum exemplaribus, nunc in summam collectas, iterum prodire in publicum non iuberem, sed paterer. Etsi vero sine omni macula id opusculum in vulgus edi sperare mihi non licet; sine pluribus tamen id progredi existimo. Quod vt Candidus quisque Lector mecum sentiat, vehementer opto atque eius me fauori de meliore nota commendo. Scripsi, Vitebergae, nundinis Lipsiensibus, A. R. S. ∞ IↃ CCLXVII.

DE

DE

VMBRA POETICA.

§. 1.

Vinculum commune litterarum elegantiorum, maxime poesis et picturae.

Solent quidem vniuersa rei litteratae membra aliquo modo inter se conuenire, ita, vt alterum vsui sit alteri, illustrationi atque ornamento: mirifice tamen inter se consentiunt artes, quae ad humanitatem pertinent, vt non solum propter se, sed plane secum habitare, et quasi cognatione inter se contineri videantur. Quas societatem certe inter se iniisse dixeris arctissimam, eumque in finem composuisse vires, vt cultores non solum ad se traherent communes, sed, quod mirandum, altera alteri efficeret amatores sine vlla inuidia et aegritudine, quod altera potieba-

tur

tur eo, quem altera concupiuerat. Attende vero ſtudioſius animum ad earum conſuetudinem, neque te fugiet perpetuus ille conſenſus et amplexus paene ſororius, quo praeter caeteras iunguntur pictura et poeſis. Excipe cogitata exſequendi modum, neque vmquam a ſuo propoſito vlla ratione deflectent. Licet eadem via non ſemper ingrediantur, et haec per aures volet, illa per oculos adſcendat ad animum, tamen ad vnum idemque tandem centrum collineant. Vera inter eas eſt amicitia, quum idem volunt, nolunt idem, laborant in eadem officina, vtuntur eadem magiſtra, iiſdem terminis circumſcribuntur, gaudent opibus iiſdem. Vtraque poteſtatem habet ſimilem dicendi quidlibet, fingendi, excogitandi et faciendi, vtraque animo res in primis abſentes proponit, ſenſus mouet, prodeſt, delectat. Ambae in tantam ſe familiaritatem inſinuarunt, vt non per ſaecula ſolum earum artifices ſibi federent a latere, ſed etiam ipſae denominationes haberent communes, et altera nomine alterius appellaretur. Ita Simonides, PLVTARCHO teſte, a) picturam, tacitam poeſin, et poeſin, loquentem picturam, nominare coepit. Pictor imitatur ſpecies et formas, quas naturae venuſtas e ſinu producit atque ob oculos hominum ponit, ſimilitudine colorum, conuenientia verborum poeta. Dat vterque operam, vt imaginibus, auxilio

a) PLVTARCHVS T. II. in commentariolo, bellone Athenienſes an pace fuerint clariores?

auxilio ingenii felicis a natura mutuo sumtis, tantam claritatem, tantam lucem, tantam quasi vitam, conferat, ipsae vt in oculis nostris constitutae cernique oculis videantur. Considera vel mediocriter picturas, ab artificibus, huius artis laude inclytis, delineatas, attende ad Lucae Cranacensis, Raphaelis Sanzii, Corregiani, Rubensii, Berghemii, aliorum tabulas, neque tu illam cautionem adhibendam fuisse pictori profitebere, quam prima illius artis aeratula adiunxere imaginibus rudes illi pictores, animantibus depictis, quo facilius cognoscerentur, nomina adscribentes b). Simul adi HOMERVM, poetarum facile principem, et carmina eius fere confundes cum atriis, in quibus imagines expressae a summis ingeniis et politae solent colligi collocarique a diuitibus. Res absentes in eius tabulis erunt praesto, et, quae variis dissitisque locis gesta sunt, vno tempore tibi ante oculos ponentur. Qua de caussa iustam huic poetae laudem tribuit CICERO: c) „Traditum est et„iam, *inquit*, Homerum coecum fuisse: at eius „picturam, non poesin, videmus. Quae regio? „quae ora? qui locus Graeciae? quae species „formae? quae pugna? quae acies? quod remi„gium?

b) AELIANVS X, 10. Ὅτι ὑπῆρχητο ἡ γραφικὴ τέχνη, καὶ ἦν τρόπον τινὰ ἐν γάλαξι καὶ ἐν σπαργάνοις, ἔτος ἄρα ἀτέχνως εἰκάζον τὰ ζῶα, ὥστε ἐπιγράφειν αὐτοῖς τοὺς γραφέας· Τοῦτο βοῦς, ἐκεῖνο ἵππος, τοῦτο δένδρον. Consentit PLINIVS XXXV, 3. qui de veterum pictura in toto illo libro egit.

c) Tusc. Quaest. V, 39.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0015
DFG

„gium? qui motus hominum? qui ferarum „non ita expictus est, vt, quae ipse non viderit, „nobis, vt videamus, effecerit?„ Hactenus CICERO. Nemo tot argumenta, pictoribus vtilia et inutilia ex Homero diligentius conquisiuit, quam in singulari opere fecit CAYLVS, vir de artibus ingenuis meritus egregie, propterea quod imagines poetae quasi in conspectu artificis collocat. Sic diuina carmina, quae, quum sint graeca, ab artifice non leguntur, vsui sunt non mediocri, potissimum si ea, quae LESSINGVS in Laocoonte contra delectum monuit sapienter, ad quasdam tabulas adplicuerit. [d]) Neque te fallet iudicium, si Virgilio multis locis des in pictura poetica principatum. Est enim in illo disciplinae Graecorum alumno praecipua commendatio artis, qua Homeri pulchritudinem naturalem munifice locupletauit. [e]) Vis rusticae vitae imaginem cernere, eaque mirifice delectari, euolue paginas, quibus pascua et agricolarum labores nitidissime depinxit. Vis heroum gesta, vis tempestates turbidas, incendia horrida, vrbes magnificas, regum aulas, vis ipsum Acheronta motum tuisque oculis repraesentatum, Aeneae fanum ingredere, vbi innumera eius generis simulacra conspiciuntur, imagines rerum tam

d) V. Tableaux tirès de l'Iliade de l'Odyssée d'Homere & de l'Eneide de Virgile avec des observations generales sur le Costume. A Paris 1757.

e) Comparationem Virgilii et Homeri habet accuratam Breitinger in der critischen Dichtkunst. Sect. II.

tam scienter exprimentia, vt ipsae spirare videantur.

Vt pictura, poesis erit; quae, si propius stes,
Te capiet magis; et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum: volet haec sub luce videri. f)

§. 2.

Lucis et vmbrae coniugatio in pictura.

Est vero artis vis ingens pictori in iusta lucis et vmbrae dispensatione, si quaedam emineant in opere, quaedam recedant. Non enim solum musicus

Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,

sed pictor etiam, colores recte miscere nesciens, simplicitate tenui minus commendatur, quam vario colorum disparium ornatu. Recte obseruat in libro, qui de poetica reliquus est, ARISTOTELES: g) Εἰ γάρ τις ἐναλείψειε τοῖς καλλίστοις φαρμάκοις χύδην, ἐκ ἂν ὁμοίως εὐφράνειεν, καὶ λευκογραφήσας εἰκόνα. *Si quis illineret pulcherrimis coloribus fuse, non similiter delectaret, ac si quis albo describeret imaginem.* Quis est, qui nostris temporibus illam picturae ineuntis pubertatem praeferat, vbi ars limitibus angustissimis circumscribebatur, vbi ab vmbra hominis, lineis circumducta, puella faciebat primordia, h) vbi vix extremitates corporum notabantur,

f) HORATIVS Art. Poet. 361. seqq. g) Poet. c. 6.
h) Fuit inuentrix illa Κόρη, non proprio nomine dicta

tur, vbi Ardices et Telephanes, *i*) spargentes lineas intus, mediis corporibus, per partes etiam sine colore expressis, magnum opus fecisse existimabantur; vbi adultiore aetate singulis coloribus monochromata ducebantur, exigua lucis et vmbrae habita ratione. Sed quantam cultoribus suis apud optimum quemque dignitatem conciliarunt imagines sequentis aeui, quibus coniugatio colorum et venustatem a varietate, et pulchritudinem a comparatione reddit illustriorem; quibus obscuri colores claris non sine insigni dignitate miscentur; quibus ab vmbra, iusto loco adsperſa, scite colores praestringentes temperari et altius tolli lucis verae splendorem admiramur, postquam, vt Plinius ait, „sese ars ipsa distinxit et inuenit lumen atque „vmbras, differentia colorum alterna vice sese „excitante.„ *k*) Namque APOLLODORVS, pictor Athenien-

ēta *Core*, vti ATHENAGORAE interpres reddit hanc vocem, sed, consentientibus PLINIO XXXV, 3. et SALMAS. ad Sol. T. I, p. 5. *puella* Corinthia, filia Dibutadis Sicyonii, figuli, quae, capta amore iuuenis, illo abeunte peregre, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit. Conf. ATHENAGORAE legatio pro Christianis, Oxon. p. 59. et TRILLERI Celeb. Obseruationes Criticae, vbi censor ille interpretum accuratissimus merito confutat interpretem Athenagorae, p. 329.

i) PLINIVS XXXV, 3. et SALMAS. Exercit. Plin. T. I. p. 5.

k) PLIN. XXXV, 5.

Athenienſis, vſum vmbrae reperit primus;[l]) inter veteres ZEVXIS, POLYGNOTVS, EVPHRANOR,[m]) maxime NICIAS cuſtodiuere lumen et vmbras, atque vt eminerent e tabulis picturae, curauere;[n]) inter recentiores autem praeter eos, quos ſupra nominaui, BECCAFVMIVS,[o]) TITIANI, alii, iſtam magis artem excoluere. Eſt igitur pictoris opus praecipuum, quaeuis data corpora ita lineis et coloribus conſcribere et pingere, vt, certo interuallo certaque centralis radii poſitione conſtituta, quaeque picta videas, eadem prominentia videantur. Id quidem aſſequetur, ſi, vti ex LVCIANI Zeuxide attulit IVNIVS,[p]) recte nouerit τῶν χρωμάτων ἀκριβῆ τὴν κρᾶσιν καὶ εὐκαίριον τὴν ἐπιβολὴν ποιήσαθαι καὶ σκιάσαι ἐς δέον, *colorum accuratam temperaturam, atque opportunam iniectionem*

l) PLVT. l. c. Ἀπολλόδωρος ὁ ζωγράφος πρῶτος ἐξευρὼν φθοράν, καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, Ἀθηναῖος ἦν. conf. Plinius XXXV, 9.

m) PHILOSTR. Apoll. II, 9. inprimis vero conferendus eſt Iunius de pictura veterum T. I, p. 170.

n) PLIN. XXXV, 11.

o) *Dominicus Beccafumi*, qui aliis etiam *Mecarino de Siena* audit, non adeo pingendi arte clarus eſt, ſed quia inuenta Duccii ad perfectionem duxit. Lapides enim ille candidos et nigros, ſibi aptatos, diſpoſuit ita, vt lux et vmbra, bene miſta, rebus repraeſentatis ſpeciem faceret non malam. Struxit eiuſmodi lapidibus templi Senenſis pauimentum, in quo honoris cauſſa ſepultus eſt. Vid. *Kernhiſtorie aller freyen Künſte* p. 33.

p) l. c.

iectionem facere, commodeque obumbrare. Cui PLVTARCHVS q) assentit: οἱ ζωγράφοι τὰ φωτεινὰ καὶ λαμπρὰ τοῖς σκοτεινοῖς ἐπιτείνουσιν ἐγγὺς παρατιθεμένοις. *Pictores lucida et splendida opacis et tenebrosis intendunt iuxta positis.* Equidem vidi Dresdae in intima sanctissimi picturae templi parte, in qua, tamquam in cella simulacra deorum, optimae Italorum tabulae statuuntur, ibi vidi, inquam, Venerem, Titiani manu factam, in qua plurimum est lucis, nihil vmbrae. Quamquam dissimilis est deae, a PHILOSTRATO laudatae, r) quae non picta videbatur, sed prosiliens, ac si quis eam capere voluerit: nihilo tamen minus hanc amoris parentem admirantur omnes. Ita carnis naturam, vt solet, felix ille naturae aemulus expressit. Ideone vero omnis vmbra e picturis tollenda? Quam Titiano largimur licentiam, aliis non alia lege ac conditione permittimus, ac si, quod perit, eadem suauitate coloris expleatur. Magna ingenia nonnumquam supra legum humanarum fastigia se efferunt, vt aliquid diuini efficiant. Praeterea, quis nescit, eumdem pictorem ex vuae varietate necessitudinem vmbrae ac lucis demonstrasse, multisque in tabulis manu sua confirmasse? quis nescit, complures eum pro optimo huius commixturae magistro habere? Imo dubito, fore, qui vmbram neglectam

q) l. c. r) PHILOSTR. de pict. Ven. L. II. Οὐ βούλεται γεγράφθαι, δοκεῖν ἡ Θεὸς, ἐκκεῖται δὲ, ὅια λαβέσθαι.

ctam velint, quum praeter VASARIOS, LAIRESSIOS, PILESIOS, FELIBIENOS, WEBBIOS, decem alios, HAGEDORNIVS Illustris hoc de argumento egregie iudicauerit ac nuperrime ab Amplissimo artium Praecone perutilis dissertatio pictori Teutonico sit exposita, s) de quo beneficio non solum artificibus gratulor, sed etiam quorumdam pictorum nomine veras ago gratias WEISSIO, de eo, quod venustum est, in Germania iamdudum optime merenti.

§. 3.

In poesi.

Absit verò, vt tantum artificium operibus conciliandi gratiam ad suum vnice commodum referat pictura, quae bonorum communionem habet cum reliquis artibus, et praeter caeteras suarum opum facit compotem ac participem poesin. Concedit illa sorori eiusdem vmbrae potestatem, vt eòdem beneficio id, quod nimium est, minuat, et lumen iustum per sua carmina diffundat. Eccur id nequeat adplicari ad poesin, quod CICERO t) commendat oratori? „Habeat, inquit, illa in dicendo admiratio ac „summa laus *vmbram* aliquam et *recessum*, quo „magis

s) Neue Bibl. d. sch. Wissensch. T. II. P. 2. n. 1. Abhandlung über die Wirkung des Lichts in den Schatten, in Absicht auf die Malerey aus dem Französ. des Hrn. C***.

t) de Orat. L. III.

„magis id, quod erit illuminatum, extare atque „eminere videatur.„ Cui vero quum tanta sit commendatio, nostrum iam erit, persequi illud aesthetices caput vlterius, quam BAVMGARTENIVS, acutus ille magister artium elegantiorum, illud tractare potuit in epitome u) breuitatis studiosissimus, maxime, quum eius commentator, MEIERVS Celeb. x) huius argumenti mentionem faciat adhuc breuiorem.

§. 4.
Vmbrae idea.

Ante vero, quam vmbrae poeticae studeamus, vmbra quid sit, per se spectata, erit docendum. Consentiunt in ea definienda plurimi, esse priuationem lucis, cum LVCRETIO y) philosophantes:

Nam nihil esse potest aliud, nisi lumine cassus
Aer, id quod nos vmbram perhibere suemus.
Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine priuatur solis, quacumque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus eius.
Propterea fit, vti videatur, quae fuit vmbra
Corporis, e regione eadem nos vsque sequuta.

Ita Graeci, inter quos PLVTARCHVM z) nomino, vmbram explicant id, quod lumine cassum

u) BAVMGARTENIVS Aestheticorum parte altera §. 654. seqq.
x) MEIERVS in den Anfangsgründen aller schoenen Wissenschafften T. I, p. 255.
y) LVCRET. de rerum Natura Lib. IV. v. 369.
z) PLVT. de facie in orbe lunae p. m. 505.

sum est. Quam vero notionem minus plenam iudicamus, quia non soli vmbrae congruit ista nota, vt taceam, eam cum tenebris, saltem cum obscuritate, facile posse confundi. Rectius ARISTOTELES a) tenebris, siue obscuritati, illam facit ideam, Τὸ σκότος, inquit, ἐ χρῶμα, ἀλλὰ στέρησίς ἐστι φωτός, *Caligo non color est, sed priuatio lucis*, postquam paullo ante tenebras siue obscuritatem, ἐκλείποντος τῦ φωτός, *deficiente luce*, fieri monuerat. Vmbrarum quidem nigrorem non plane negat, sed tamen raram et exiguam lucem ex illis resilire contendit. Quis vero est, qui vmbram cerni oculis posse existumet, si, luce absente, plane nulli reflectantur radii? Videmus autem vmbram quoque et animaduertimus, luce illam non penitus carere, sed radios luminis in vmbra minui. Mallem igitur, vmbram, praesertim minus plenam, ex vsu loquendi aesthetico dici lucem, a corpore opaco temperatam, quam priuationem lucis. Hanc vocem metaphoricam, quae aliquam cum tenebris, aliquam cum luce habet comparationem, si propter linguae paupertatem, quum vox propria desit, a natura velim transferre ad eius imitatores, notionem ei tribuendam esse puto magis conuenientem. Apud Aestheticos igitur, maxime apud poetas, vmbra erit nihil aliud, nisi lucis temperatio, artificiose ad concordiam totius variata.

a) ARISTOT. De coloribus Cap. I. coll. de anima II, 7.

§. 5

Illustratur.

Vt in pictura, eminent in carmine colores quidam intensi, qui praeter caetera imaginationem nostram tangunt, et eam quasi incendere videntur. Ex quo fit, vt eadem vi animum occupet nitor carminis, atque externos sensus pictoris opus ad se rapit. Quod si lux illa dominaretur in omnibus partibus minoribus, caperent eam res, quae lucem non amant, deinde nihil praecipue phantasiam adficeret, contra ea varietatis defectus taedium adferret, certe fatigaret. Sunt, vti de figuris in eloquentia perhibet orator, haec lumina, velut oculi quidam carminis, sed neque oculos esse toto corpore volumus, ne caetera membra officium suum perdant, neque ardere omnia in carmine patiuntur poetae. Requietem, philosophatur CICERO, quaerit natura, requietem etiam relinquere student in operibus suis artifices, qui ea naturae volunt esse similia. Imaginationi igitur, ne lumine nimio eius acies praestringatur, et, quod accidit oculis, solem intuentibus aduersum, victa radiis id obscurum videat, quod lucidum est, succurrit poeta, loca substituens opaca, vbi requiescat imaginatio defatigata atque in lucem sequentem eo acrius intendat vires recuperatas. Temperatur igitur lux, seu minore gradu subiicitur, vt nitore ac splendore quidem partes imaginis obumbrandae careant, sed nihilo tamen minus radii nonnulli siue notae tenues supersint. Plu-

ra

ra quidem saepe de argumento venuste meditari, plures colores picturae poeticae affundere, maiore in luce constituere illam potest opifex, sed parcus est in ipsa opulentia. Neque ille tribuit, quod opus est, sed quod necesse, similis prudenti patri familias, qui bonis tametsi abundet, liberis tamen plura non suppeditat, quam ad recte viuendum videntur necessaria, ne circumfluentes omnibus copiis atque in omni rerum abundantia viuentes, luxuria corrumpantur. Eodem modo lumen atque ornatum quantumcunque ingenii vbertas possit vel opulentissimae materiae inducere, lucem tamen nimiam, quam totius venustas respuit, sobrie moderatur, et cum HORATIO [b])

— — *ambitiosa recidet*
Ornamenta: parum claris lucem dare coget,

ne pompam atque ostentationem adfectare, et in ipsum καλλωπισμὸν vitium ruere videatur. Quum vero nesciant plurimi, quod bene cessit, relinquere, quum arduum sit, iuste dispensare lucis ornatum, ne vel ardeat, vel plane obscuretur opus, artifex sane requiritur, qui colorum rationes didicerit, ab ipsa natura in iis miscendis quasi edoctus, qui absolute lucidis nihil addat obscuri, comparate lucidis misceat satis temperamenti, qui medium teneat, neque omnia, sed plura nitere in carmine iubeat. Cur enim ANTIMACHI carminibus et picturis DIONYSII Colophonio-

 rum,

b) Art. Poet. v. 447, 448.

rum, vtvt vim haberent et insignem eximii splendoris vigorem, (ἰσχὺν καὶ τόνον) a PLVTARCHO c) ille non datur honor, quem NICOMACHO atque HOMERO tribuit? Sane, quia iustam luci vmbram non miscebant, plurimum laboriosae coactaeque adfectationis prae se ferentes. Cur vero de APOLLODORO d) praedicat gloriosius, eumque multa ad patriae famam conferre existumat? Nullam profecto aliam ob causam, nisi quod artifex, inuentis vmbris, primus colores vicinia colorum diuersissimorum excitauerat. In primis vero artifex quisque singulas partes ita tandem conglutinat, vt vnum quasi corpus efficiant, neque altera possit ab altera diuelli. Id ipsum pictor, id poeta, curat, lucem moderantes. Quae variis quidem modis, iam minore gradu, iam maiore, subducitur, mox paene interire videtur. Semper tamen eo id fieri debet fine, ne quid detrimenti lux capiat totius, et potius omnes illae varietates ad vnitatem, quam vocant, et absolutam et hypotheticam, tandem conueniant, venustatem ipsi operi conciliaturae. Vmbra igitur ad colores, vmbra ad lucem, siue cogitationes venustas, eo tantum consilio accedit, vt magis efferatur totius oeconomia seu constitutio. Ita musicus, modulate canens, ad harmoniam vocem per interualla flectit, eam supprimit, intendit, submittit, gradatim adscendit, non

c) PLVTARCHVS in Timoleonte c. 6. Iunius l. c. T. II. p. 137.

d) Bellone an pace Athenienses fuerint clariores?

non semper in loco vocis manet, sed per tonos progressus molles atque acutos, hemitonia miscet interuallis solidis, et facit varietatem modulationis, vt ex coniunctione phthongorum maior concentus procreetur. Neque aliam ob caussam in symphonia leniter tanguntur chordae, voci respondentes, quo soni cantoris clarius emineant meliusque audiantur. Pauci reperiuntur, qui dulcissimis vsque cibis se delectent, plures, qui dulcedinem, amaro temperatam, praeferant cum NASONE:

Dulcia non ferimus: succo renouamur amaro.

Cui concinit in Aminta TASSVS, non parum delicatus:

Insipido è quel dolce, che condito
Non è di qualche amaro.

Possumus autem in poetice caput de vmbra ad duo capita reuocare, exponentes, vbi carminis necessitas exigat, et vbi prosit, vt poeta lucis, seu nitidarum cogitationum, modum habeat. Neminem memoria nostra fore existimo, qui magnum illud litterarum elegantiorum insicietur praeceptum, quod dedit in libro, qui de poetica reliquus est, ARISTOTELES, SCALIGERORVM, BATTESIORVM, BAVMGARTENIORVM, BREITINGERORVM, RAMLERORVM, HOMIORVM, MEIERORVM, aliorumque argumentis suffultum, imitari poetam naturae venustatem. Videmus autem, non vbique florere naturam, non vbique splendescere lucida, sed misceri

colores obscuriores, spargi locis apricis arborum obductarum vmbras. Etenim alio loco

Purpurei colluscent floribus agri,

alium

tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt conuallibus vmbrae.

Ipsa igitur quum gaudeat natura consensu variorum, luci submittens vmbram, poeta non potest non sequi vestigia magistrae praeeuntis, et vmbram adhibere, vbi

Locus est et pluribus vmbris.

§. 6.

Regula. I.

Cogitanti vero mihi, quibus legibus possim suum vmbrae, quam necessitas vrget, locum tribuere, mentem subit regula generalis: *Quae per se naturamque suam lucem non capiunt poeticam, opacantor.* Non possunt a poetis omnia venuste cogitari, quia multa venustate plane destituuntur, vel ei sunt opposita. Sunt in cellis naturae penuariis, e quibus pictor et poeta opes promunt suas, res diuersi pretii. Sunt multa, quae notis venustatis abundent, sed non omnia tanta valent praestantia materiae, quae capiat animum. Quae clare ab sensibus non possunt cognosci, quae vigore carent, propter humilitatem contemplatione indigna, exilia, sicca, ieiuna, breuibus vt me expediam, quae MEIERVS subtilis infra finitorem aesthetices ponit, eumue superare

ſuperare exiſtimat, e) ea omnia, ſi carmini neceſſario ſint inducenda, lucem ingredi non debent. Pono, cadere forte in carmen ſententiam geometricam aliamue enunciationem philoſophiae ſubtilem, claram quidem in ſua diſciplina, ſed venuſtis meditationibus minus aptam, ea lucem aeſtheticam repudiat. Quamquam Pythagoras, inuento theoremate praeſtantiſſimo, quod ab ipſo inuentore nomen ſortitum eſt, Muſis centum boues immolaſſe dicitur, tamen ne vnus quidem agnus e farina Muſis litaret, ſi poeta dimenſionem laterum in hac figura carmine deſcriberet. Dices, ea de re apud DIOGENEM LAERTIVM epigramma legi: ſed illud non prodit, quadratum lateris, angulo recto in triangulo rectiangulo ſubiecti, aequale eſſe ſummae quadratorum, quae deſcribi in reliquis duobus lateribus poſſunt. Dic enim, amabo, per ipſam circuli quadraturam! quomodo haec ſint venuſte cogitanda? Verba carminis haec ſunt: f)

Ἦυκε Πυθαγόρης, τὸ περικλεὲς ἔυρατο γράμμα,
Κεῖν' ἐφ' ὅτῳ κλεινὴν ἤγαγε βοθυσίην.
Confecit Pythagoras, celebrem inuenit figuram,
Illam, ob quam inclytam obtulit hecatomben.

Poeta igitur, niſi LVCRETII vitium ſuum facere cupit, abſtinet a coloribus, qui lucem concilient rei inuitae, quum potius vmbram lubentior

e) l. c. T. I. §. 44.
f) DIOGENES LAERT. L. VIII. in vita Pythag.

tior adit. Ita VIRGILIVS, g) certamen nauale dum canit, naues pingit coloribus lucidis, remorum vero, de quibus multa venuste proferri nequeunt, imaginem obscurat, et vix eos nominat. Exta victimae, h) luce non digna, haud extendit iisdem coloribus, quibus taurum, Ioui ab Ascanio promissum, exornat. i) HORATIVS:

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat extra nefarius Atreus.

Nolui quidem alio tempore, tam lucide nobis a VIRGILIO poni ante oculos lanienam ceruorum, corumque apparatum: k)

Tergora diripiunt costis, et viscera nudant,
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt,
Littore ahena locant alii, flammasque ministrant.

Etenim minuti isti humilesque laniorum coquorumque labores tanta luce sunt distincti, vt oculis nostris carnificinam videamus. Ecquis amat ea, quae non sunt pulchra? Detrahitur pellis ferae loco ignoto, nudantur viscera in macello, paratur caro in vmbra culinae. Nonne poeta etiam res paruas, quae per naturam suam in conspectu agi non solent, potius tegere

g) Aeneid. V, 114. sequ.
h) Aeneid. VIII, 284.
i) Aen. IX, 698.
k) Aen. I, 215. sequ.

tegere potuiſſet? Sed largior hanc imaginem poetae, poſteaquam felicior audaciae Maronianae interpres *l*) ad aurem admonuit, rem nihil vile tum habuiſſe, quum ſacerdotes et principes viri non indignum perſonis ſuis iudicauerint, mactare pecudes in offerendis ſacrificiis, hunc vero locum diſplicere non poſſe aliam ob cauſſam, niſi quia mores noſtri a priſtina ſimplicitate receſſerint factique ſint delicatiores. Quae quum ita ſint, indulgendum eſt Virgilio, quod noſtratium nemini cuiquam indulſerim. At multa alia illa etiam aetate foeda viſu fuere, quae venuſtati plane repugnarent; a poetis vero nimium quantum expingerentur. Muliercula, cui facies curae eſt, puſtulam in genis ortam, impoſito taeniae nigrae fruſtulo, ſollicite occultat, quo non ſolum medeatur deformitati, ſed etiam maiorem adhuc vultui conciliet nitorem. Credo, poetam, varia quem ſumere a ſexu ſequiore nouimus mutua, illam venuſtatis notam imitari poſſe. VIRGILII tempore illud tegendarum macularum artificium fortaſſe nondum erat tritum, alias

— — *Foediſſima ventris*
Proluuies,

in Harpyis *m*) obſeruata, et ſub oculis omnium ſtatuta, ſine dubio non illuceſceret. Turpe non fuit Herculi, ire, quo ſaturi ſolent, atque imperata facere naturae. Quis negat, Herculem in

l) KLOTZIVS in Actis Vol. I. Part. IV. p. 457.
m) Aen. III, p. 216.

in eo etiam heroibus noſtris fuiſſe ſimilem, vt multum biberit? Ebrius enim ille adeo apparet in gemma Muſei Neapolitani. Laudi vero non ducitur artifici, talem ſtatum imitari, qualis in villa Albani conſpicitur, vbi Hercules, bene potus, reddit vrinam. n) Belgae, qui ſaepius temulentorum ſocietatem lucide pinxerunt, id opus neceſſitatis ſaltem in obſcuro quodam angulo ponunt vmbramque facientibus obducunt. Quid enim hic pulchri, quod lucem ferat? Non alia de cauſſa poterant ab HESIODI pictura triſtitiae o) ſatis horrida ſordes narium abeſſe. Debebat omnino adſpectum terrere, debebat odium excitare, triſtitiae imaginatio, ſed nauſeam non debebat creare. Eleganter ille:

Παὰ δ' Αχλὺς εἰσήκει ἐπισμυγερή τε ηγὴ αἰνή.

Sed largimur ei verſum ſequentem:

Τῆς ἐκ μὲν ῥινῶν μύξαι ῥέον.

Eſto peruſtae ſimilis, eſto horrenda, pallida, fame exhauſta, tumeant genua, extent vngues e manibus, ſed nares — — iudicium poetae aut plane reſpuit, quae cum ſenſibus delicatioribus pugnant, aut nube condit, ſi, aliquantulum vt appareant, ſit neceſſe. Nihil enim, niſi quod placere poteſt, imitatur poeta, vti pictor, de quo p) HAGEDORNIVS in egregio, quem de pictura conſcripſit, libello eleganter hac in cauſſa

n) WINCKELM. Alleg. p. 45.
o) Scutum Herculis v. 264.
p) *Von der Mahlerey* T. I, Cap. IX.

cauſſa diſputat. Mentionem ibi facit IOANNIS VALDESII, artificis non mali, eumque merito reprehendit in pictura corporis mortui et putrefacti, quod ad naturam quidem VALDESIVS, ſed ad nauſeam etiam, pinxiſſe dicitur, ita, vt nemo ſine horrore et faſtidio ſpectare illam imaginem potuerit. Melior igitur eſt VIRGILIVS, q) qui POLYDORO, quem

confixum ferrea texit
Telorum ſeges,

iuſta facit, neque eius corpus, quod non ſine nauſea efferri poterat, capite truncatum et putredine iam corruptum, explicat, ſed vmbra tegit admodum decora. Eccur deſcribi debeat corporis contumelia, quam nemo intueri quidem velit, ſecundum illud ANTIOCHI: r)

— — — — Σώματος ὕβριν
Πῶς ἄν τις γράψῃ, μηδ' ἐσιδεῖν ἐθέλων;

Hic in mentem venit CAROLI DVLCIS s) pictura, ea ſcilicet, quae famoſam iſtam mulierculam, Ioannis caput amputatum in patera geſtantem, exhibet. Pictor facile praeuidit, os pallidum, genas deformes, ſanguineaeque ceruicis truncum male reſponſurum delicatulis ocellis. Quid ergo? Portatur triſte donum vultu auerſo. Non male. Cui vero minus placeat artificium poetae, quem Gratiae atque ipſa dea Verecundia

q) Aeneid. III, 46.
r) ANTHOL. LVBINI L. II. c. 43. n. 13.
s) *Carlino Dolce.*

dia prae sexcentis aliis osculantur, artificium, inquam, GELLERTI, eamdem historiam narrantis? Molle pectus amabilis huius viri pati non potest lucidos colores in capite abscisso a pictore profusos. Igitur sapienter turpitudinem spectaculi vna cum ipsa femella occultat, nihil addens, quum facta esse imperata diceret, nisi haec verba:

Man bringt des Taeufers Haupt auf einer Schüßel her. t)

Caue autem horrida, quae terrorem moueant, aut misericordiam concitent, confundas cum iis, quae fastidire solemus. Diligenter ea sunt discernenda, quod ad illa splendor summus debet accedere, vti factum est ab eodem vate in picturis monstrorum apud inferos, u) et ab OVIDIO in delineatione pestilentiae, quae, Iunone irascente, in Asopide insula grassabatur. x)

§. 7.

Regula. II.

Sunt in picturis varia, quae, si loco propinquo nuda conspiciantur, suaque luce naturali appareant, aciem oculorum castorum offendant, loco vero posita remotiore et velo tecta vmbrifero, minus noceant; iis poeta, decori studiosus, ne verecundia laedatur aliaue virtus, vmbra

t) V. GELLERTS *Fabeln und Erzaehlungen* T. I. p. 66.
u) Aeneid. VI, 274.
x) Metam. VII, fab. 27.

vmbra consulit. Esto igitur altera regula: *Quae bonos mores violant, sunt vmbra occultanda.* Numquam vitio debet ille affundi nitor, qui virtutem reddit amabilem, ne placeat, et fuco meretricio captet amorem legentis. Quoad colores delineati cuiusdam vitii nimis arridere animo cerco poeta existumat, vim eorum et suauitatis speciem temperet, necesse est, quia non obesse, sed prodesse vult. Neque in hoc capite poetis, neque pictoribus, audendi quidlibet datur potestas. Consulat vterque verecundiae. Legem, narrat AELIANVS, y) fuisse Thebis datam, quae artificibus, seu pingerent, seu fingerent, imperaret, εἰς τὸ κρεῖττον τὰς εἰκόνας μιμεῖσθαι, vt formas exprimerent magis decore. Quam legem si violaret opifex, et contra decorum atque honestum pingeret, mulctabatur ipsa pictura, vel eius pretio. Mirum igitur non est, triumuiros PAVSANIAM, ARISTIDEM atque NICOPHANEM, qui formas meretricias in Graecia depingerent, ποργογράφες esse dictos z) sanctumque ARISTOTELEM a) vetuisse, vt pueri picturas fabulasque indecoras ac deformes intuerentur, eumdemque postulasse, vt ab auditionibus et spectaculis illiberalibus arcerentur. Variae sunt artes pictorum, quibus tegere solent, quae offendunt. Venit ante oculos imago protoplastorum, ab Haymanno inuenta, libro V. Paradisi

y) Var. Hist. IV, 4.
z) IVN. de pict. T II. p. 146.
a) ARISTOT. Polit. VII, 17.

disi Miltoniani praemissa, vbi sessio Adami non solum est magnopere verecunda, sed, quod magis est admirandum, videtur herba, non consulto, sed casu, adoleuisse propter pedes, quae vmbram faceret Euae accubanti, ne, vestibus quia caret integra, pudor violaretur. b) Sic LVCAS GIORDANVS pinxit Ariadnen, a Theseo derelictam, quae, tametsi nuda sit dedita somno, Bacchis et Satyris spectantibus verenda non impudice subducit. Ad hunc ipsum diem sine offensione licet hanc puellam adspicere, quae pede altero paullisper elato muliebria tuetur ab impetu oculorum, in museo Dresdensi.

Quantam vim habent tabulae, virtutem lucide exprimentes, in animis hominum, tantam potestatem lasciuae imagines exercent non solum in Chaereas, sed etiam in homines alios, maxime, quum aperiuntur occulti meatus, quibus, quasi cuniculis, ad pudoris ruinam vtitur improbitas. Equidem terrarum incolis tantum non succenseo, vt mihi persuadeam, hominem infra pecudes sese adeo submisisse, vt stupro polluerit statuam; id quod de Hispano quodam narratur, qui Iustitiam, Romae in templo Petrino a GVILIELMO PORTA statutam, incestauerit. Hoc, inquam, non credo: nam ne Phoenices quidem, quorum mulieres ante simulacra prostitutae diis quaestum dedicauere suum, ea lasciuia, ea dementia cepit, vt ipsa signa polluissent. Interim tamen laudo, vt ad Iustitiae statuam reuertar, velum aeneum tandem

b) Edit. Lond. 1751. post pag. 122.

tandem iniectum esse gremio mulieris, quae vera statu patuerat meretrix.

Quod in primis dictum sibi putent, qui carminibus lasciuis male imitantur naturam, detegentes ea oculis, quae mire natura ipsa voluit occultata. Peruenere quidem a poetis antiquis ad nostra tempora impura atque obscena multa, in OVIDII, HORATII, CATVLLI, GALLI, MARTIALIS, PETRONII, operibus obuia, quorum libidinem tegere malo, quam repetere, vt venerabilis aetate atque integritate LIPPERTVS facit, quippe qui tot gemmas obscenas, vtut antiquae sint, mauult in tenebris arculae occultare, quam cum aliis, argumento nobilioribus, edere in vulgus. Sed peruenere simul ad nos carmina, quibus ea, quae voluptatem possint excitare, mirifice sunt inuoluta. Erat apud veteres in vsu genus versuum, qui vel ab vrbe Fescennio, vbi nuptialia carmina, SERVIO teste, [c]) sunt inuenta, vel a fascino arcendo, vti placet FESTO, vel a βασκάνω, e SCALIGERI interpretatione, [d]) dicebantur Fescennini seu Fesnoae, vti cum MEVRSIO putat FERRARIVS. [e]) Quamquam iis ioci miscebantur plerumque petulantiores, quamquam *procaces* eos et *probra certa* vocant duumuiri, in rebus venereis non religiosi, CATVLLVS et NASO:

c) SERVIVS ad Aen. VII, 695.
d) SCALIG. Poet. III, 101.
e) FERRARIVS de Acclamat. et Plausu L. VI. c. 23.

NASO: *f*) tamen AVSONIVS „castis auribus „audiendum mysterium nuptiale, ambitu lo„quendi et circumitione ad tempus velauit.„ *g*) Habebant mimos, siue Magodias, carmina, quae risus mouendi causa, res turpes turpius imitabantur, nulla honesti decorique habita ratione. Quos versus tametsi SALMASIVS *h*) et SCALIGER *i*) omnium maxime lasciuos exponant, lectitatos tamen esse Sophronis Syracusani mimos ab ipso Platone, negare nequeunt. Sed Platonem rebus prorsus obscenis delectatum esse vix putarem, nisi suis inuolutae fuissent vmbraculis. Vtcunque vero est, docet nos fragmentum DECIMI, siue, vti vult CRINITVS, *k*) DECII LABERII, equitis Romani, qui praecipuus mimorum scriptor floruit anno V. C. IↃCC, sese turpia suauiter ac pure obuoluisse. Quem quum Caesar cogeret, vt in scenam prodiret, et ipse mimos ageret, quos scriptitabat, questus in prologo de iniuria, seni illata, mimorum actiones impudicas descriptione castissima exponit:

Etenim

f) CATVLLVS in carm. nupt. Manlii et Iuliae:

Nec diu tenuit procax
Fescemina loquutio.

cf. OVIDIVS Fast. III, 676. *Nam coeunt, certaque probra canunt.*

g) In Cent. Nupt. Parecbasi.
h) SALMAS. Exercit. Plin. ad Solin. p. 76.
i) SCALIG. Poet. I, 10.
k) PETR. CRINITVS de poetis latinis II, 21.

Etenim ipsi di negare cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare, quis posset pati?

— — — —
— — — —

Fortuna immoderata in bono aeque atque in malo,
Si tibi erat libitum, litterarum laudibus
Floris cacumen nostrae famae frangere,
Cur, cum vigebam membris praeuiridantibus,
Satisfacere populo et tali cum poteram viro,
Non flexibilem me concuruasti, vt carperes?

Nobis seruat MACROBIVS *l*) istos versus, qui SCALIGERVM mouerunt ita, vt GELLIO, aliquot vocabula, velut sordida, notanti, et FLACCO, *m*) qui mirari Laberi mimos, vt pulchra poemata, noluit, aperte repugnaret, eumque elegantia et sermone puro omne Latium prouocasse contenderet. *n*) Sunt vero ad manum alia etiam, quibus res, sua luce non decorae, sistuntur meliores, sunt exempla accommodatiora, quam ἀμίμητον illud LONGINI, *o*) quod de morbo muliebri attulit, merito reprehensum a TOLLIO *p*) et BREITINGERO. *q*) Venit in mentem ANACREONTIS bona rei non bonae adumbratio, qua saepius in

l) SATVRN. II, 7.
m) Sat. I, 10, 5.
n) Poet. l. c.
o) περὶ ὕψους Sect. XXVIII.
p) TOLLIVS in fortuitis XXXI.
q) Krit. Dichtk. T. I, Sect. XI.

carminibus vti solet. Minuit ille in carmine ad discum, vbi arte summa Venus erat expressa, lasciuam deae agitationem: r)

Χορὸς ἰχθύων δὲ κυρτὸς
Ἐπὶ κυμάτων κυβιστῶν
Παφίης τὸ σῶμα παίζει,
Ἵνα νήχεται γελῶσα.

Chorus piscium autem tortuosus
In fluctibus capite saltantium
Paphiae corpus ludit,
Vt natet ridens.

Vim sane locutioni liberali et verecundae inferunt FABER et BARNESIVS, s) istum si velint locum sine necessitate prae nimio emendandi pruritu corrumpere. Quis est, quin admiretur ambiguitatem τῦ σώματος et τῦ παίζειν, cum BAXTERO? t) Constat ex ipsis epistolis Paullinis, verecunde τὸ σῶμα notare eam corporis partem, quae magna cura tegitur, quo etiam Graecos vsurpare significatu τὸ δέμας, nouimus, et Latinos corpus adhibere, confirmat ad illum locum BAXTERVS. Vocabulum παίζειν autem praeter communem notionem, ex origine vocis a ludis puerilibus saltibusque ductam, admittit arcanam concumbentium interpretationem, quam etiam sine dubio requirunt hi versus:

Πρέπει

r) Oda LI, 27.
s) Tanequidus Faber in notis ad h. l.
t) Vid. Baxter ad h. l. ridens Barnesium.

Πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν,
Decet iocoſe ludere, u) et
Μᾶλλον δίδασκε παίζειν
Μετὰ χρυσῆς Ἀφροδίτης, x)
Potius doce ludere
Cum aurea Venere.

Similem vmbram inducit raptui virginitatis Θαρσυς, Idyllium, quod alii THEOCRITO, HEINSIVS vero MOSCHO tribuit, alias laſciuum:

Φεῦ, φεῦ, καὶ τὰν μίτραν ἀπέστχισες· ἐς τί δ' ἔλυσας; y)
Heu, heu etiam cingulum remouiſti, cur vero ſoluebas?

Vbi ἀποστχίζειν τὰν μίτραν, remouere zonam, non ad primum ſolum partum ſpectat, vbi Dianae λυτιζώνη dicabatur a Graecis ſolutum cingulum, ſed ad primordia coniugii, vbi zonam ex lana ouilla, interdum aere, argento et chalybe, factam, ſoluebat ante congreſſum nouae nuptae maritus. z) Vides euphemiſmum eumdem apud HOMERVM a) vbi Neptunus, virginem Tyrum compreſſurus,

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν,

u) ANACR. XI, 10.
x) XXXVI, 7.
y) v. 54.
z) DEMPSTER ad Roſin. Ant. V, 36.
a) Odyſſ. λ. 244.

Soluit autem virgineam zonam somnumque offudit,

et apud CATVLLVM, [b])

Quod posset zonam soluere virgineam.

Nec minus debet eunuchi vitium casta descriptione abdi. Itaque deesse ei integritatis testes, PHAEDRVS [c]) exponit ambiguus, aut sub grege turpium virorum morbo contaminato melius occultat id vitium HORATIVS. [d]) Vehementer arridet Taubmanno αἰσχρολογίας vmbraculum verecundum, vbi Didus et Aeneae amores secretos sub spelunca tegit VIRGILIVS, facesque nuptiales, aquam, quae nubentibus solebat, praeferri, et Hymenaeos, sub ignibus fulguris, pluuia et foemineo nympharum vlulatu condit:

Speluncam Dido dux et Troianus eamdem
Deueniunt: prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum, fulsere ignes et conscius aether
Connubii, summoque vlularunt vertice nymphae.
Ille dies, primus leti primusque malorum
Causa fuit. Neque enim specie famaue mouetur,
Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat: hoc praetexit nomine culpam. [e])

Comparari potest cum poeta pictor quidam e schola Beretini egressus, de quo eiusdem argumenti

b) LXVII, 14. *c*) III, 11, 5.
d) Od. I, 37, 9. *e*) Aeneid. IV, 165. seqq.

menti tabula in atrio Augustorum est suspensa. Aeneas atque Dido sedent sub arbore, blanditiis amoris se dedunt, obscenis autem gestibus castos oculos non violant. Discipulus sequutus est praeceptorem, cuius cogitationibus nihil erat nobilius. Coniugium ipsum relinquit ille coniiciendum iis, qui caetera non nesciunt. Modestia aeque laudabili e nostratibus sanctus ille virtutis sacerdos in fabula Rhynsolti ac Luciae obumbrauit ea, quae animi verecundi oculos atque aures offendere potuerint. Cuius enim neque musa pudentissima vult repetere incesta verba, quibus adulter fucum fecerit pudicae mulieri, neque commissum flagitium coloribus lucidis adornat. *f*) Quid? si dicam ipsum amoris praeceptorem arte mira interdum condere, quae iam plena luce apparitura putemus? Acontius in Cydippa laudat oculos, crines, ceruicem, decorem, vultum, descendit ad pedes, ac ne violentur hoc certe loco boni mores poetae euidentia, caetera, laude maiora, praedicat, *g*) atque hoc modo scite oculit:

Cetera, si possem laudare, beatior essem.

Saepe rumpi possunt, vt differri videantur, quae volumus opaca: *h*)

Hoc satis hic: alio caetera redde loco.

f) V. *Lehrgedichte und Erzaehlungen von Gellert* p. 118. seqq.
g) Heroid. XX, 61.
h) Amor. III, 2, 85.

§. 8.

Regula III.

Multa in carmine per se naturamque suam lucem admittunt maiorem, sed illam propter alias causas fugiunt, quae in consensu totius habent rationem. Primum id fieri potest, quum notae rei aliam rem in mentem inducunt, et contrarium effectum pariunt. *Quae igitur notae amouent imaginationem ad cogitationes alienas, sunt vmbra abscondendae.* Errat poeta, qui, ingenii feruore correptus, omnia, quae rei insunt, vult aucta nimio splendore, ac bonum opus fecisse existimat, si cuncta, quae vel ipse illustrari posse cogiter, vel ab aliis alio loco venuste cogitata meminerit, summo ornatu sub adspectum subiiciat. Saepius id faciunt tenuia ingenia, quae, quum angusta res sit in cerebro, meditationes, tamquam aurea poma, decerpunt ab arbore Porphyriana, easque comparant munificentia locorum, consulto oraculo famosi istius versus, sibi ab Orbiliis in schola tot verberibus, quot locis constat, memoriae impressi:

Quis? quid? vbi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Quidquid ille respondeat Apollo, exponunt oculis, neque curant, an plus lumen illud efficiat, quam debet efficere. Dis gratulantur, se inuenisse, quod operi nitorem conciliaret. Si minor poeta historiam Herodis atque Herodiadis enarrasset, sine dubio miserum Ioannis habitum sordi-

sordidumque vestitum, e pilis camelorum asperioribus consutum, ac mollibus aulicorum vestimentis oppositum, in hanc picturam intulisset. GELLERTVS autem hanc notam legati diuini operit. Namque in mentem venire potest lectori aliena caussa, cur Ioannes fuerit odiosus mulierculae, quae, cum aulae splendore mollia vestimenta amans, hominem hirsutum atque agrestem aegre tulerit. Pono vero, se Ioannem hanc etiam ob caussam voluisse e medio sublatum, tunc simul e praeconcepta opinione aulae odium exortum esse, neque, vt veritas cogit, tantum ob reprehensionem vitii confidentiorem, facta caedes videretur. Prima igitur caussa ab socia nonnihil ferret detrimenti. Pinxit OVIDIVS i) Apollinis imaginem, Daphnes amorem captaturi. Exhibet ibi tantum ea, quae ad mouendam puellam videntur idonea, reliquas Dei notas, quae maiorem eius magnitudini splendorem afferre possunt, tegit eleganter. Splendide reddit Apollinis ortum, imperium, musicam, artem iaculandi medendique scientiam. Sed abest nimbus, certa Phoebi nota, quod oris dignitatem radii ignei praestrinxissent, omittit eamdem ob caussam vestimentum aureum, neque adiicit ingentia eius facta, neque occisum Pythona, quia haec victoria caussa prima erat vulneris, a Cupidine accepti, k) neque confixos Cyclopas, qui Apollinem, caelo deturbatum, diuinitate spoliatum et inopia ad greges

i) Met. I, 512. k) v. 460. seqq.

Admeti pascendos depulsum, reuocare virgini potuissent in mentem. Sed vide, quam scite vmbram spargat iis, quae parum commendassent:

Plura loquuturum timido Peneia cursu
Fugit, cumque ipso verba imperfecta reliquit.

Finge effingi carmine Solomonem, a Deo, qui sapientiam det regi comitem, etiam atque etiam petentem. Putasne laturam imaginem principis, ante pedes summi rerum arbitri aduoluti, colores splendidos, quibus solent reges delineari? Neque artifex vultui maiestatem faciet, neque in solio collocabit regem, neque capiti coronam, neque manibus sceptrum, dabit, quia ornamenta ista velant supplicem, dum regem nobis lucide exponunt. Aderunt omnino quaedam magnitudinis notae, quibus caput imperii facilius ab alio Iudaeo distinguatur. Habebit diadema, habebit alia ornamenta, sed habebit ea sub vmbra. Maiestatem oris minuet modestia, solium videbis vacuum e longinquo constitutum in vmbra, coronam abiectam sceptrumque humi iacens animaduertes. Sic cultus temperatus vmbram creat, quae regem quidem tegit, sed eius reuerentiam erga tantum numen reddit eo clariorem. Confirmat exemplum Solomonis pictura quaedam, cuius facit mentionem HAGEDORNIVS.*l*)

§. 9.

l) Von der Malerey T. I. p. 228. Ich vermuthe einem knieenden Salomo, der Gott um Weisheit anruft,

§. 9.

Regula IV.

Alia volunt sub vmbra tegi, quia persona loquens lucem maiorem vetat. *Quae igitur propter personam loquentem in luce videri nequeunt, opacantor.* Nihil quidem puto magis capere splendorem, quam animi motus. Quos poeta diuitiis omnibus, quas eius ingenium possidet, exornat, cogitationibus splendidis explicat, verborum nitore summo illustrat. Sunt enim plerumque caussae tantarum perturbationum graues, ingentes, mirificae. At male naturam imitatur, quando poeta splendorem istum in ipsa hominis commoti oratione ponit. Exposui alio loco, spiritum grauiter agitatum, solo saepe loqui silentio, certe verba non multa facere, quia plerumque sunt adfectuum magnitudine minora. Attuli TIMANTHIS artificium, in Iphigeniae immolatione summum. Qui tristes pinxit omnes, praecipue Menelaum patruum, et quum tristitiae omnem imaginem consumsisset, patris vultum velauit, quem digne non poterat ostendere. [m]) Sic homo, in summo perturbationis

anruft, werde in dem für den Rathssaal zu Amsterdam so wohlgewaehlten Bilde, der kluge Künstler keine andre koenigliche Kennzeichen als an der Hauptbinde und in den Nebenwerken gegeben haben. Govert Flink, der es gemahlt hat, dachte über dichterische Gegenstaende tiefer, als Rembrand, sein Meister.

m) Neque id TIMANTHES suo ingenio debuit, quod

tionis gradu constitutus, parcit in sermone interrupto coloribus, qui doloris sui causſam exhibeant. Animus eius distractus non meditari potest fictiones, animo sereno deducendas, neque facile offendit extra se imagines, suo solum vel dolore, vel gaudio, occupatus, fugit omnia, quae videntur artificiosa, neque omnes quidem ipsius facti, quod mouerat, adfert notas. Quis dubitat, potuisse [n]) SOPHOCLEM in Electrae oratione Agamemnonis caedem luce amplissima ponere spectaculo, potuisse impetum, in patrem factum, eius preces, gemitus, clamorem, luctam cum interfectoribus pro conseruanda vita, Clytaemnestrae ictus repetitos et plagam lapso inflictam,

quod vulgo creditur, neque SOPHOCLI, vt in scholio WEBBIANI libri de pictura, in linguam Germanicam translati, p. 158. docetur. Licet heri id potuerit, vt TIMANTHES ex hoc poeta aliquid depromeret, quod SOPHOCLEM inter atque illum XX. fere Olympiades interfluxere. At carmen, quod sine loco laudatur, in nulla SOPHOCLIS tragoedia reperi. Vt dicam, quod res est, sunt verba, quae TIMANTHI occasionem dedere, quaeque SOPHOCLIS esse creduntur, petita ex EVRIPIDIS *Iphigenia in Aulide v.* 1550.

— — — Ὡς δ' ἐσεῖδεν Ἀγαμέμνων ἄναξ
Ἐπὶ σφαγὰς σπεύδουσαν εἰς ἄλσος κόρην,
Ἀνεστέναξε κἀμπαλιν στρέψας κάρα,
Δάκρυα προὔχεεν, ὀμμάτων πέπλον προθείς.

— — — *Quum autem videret Agamemnon rex*
Ad mactationem euntem in lucum puellam
Ingemuit: ac retro flectens caput
Lacrymas effudit, oculis peplum opponens.

n) Soph. Electra Act. I. Sc. 2.

flictam,[o]) sanguinem deinde profluentem, membra dissoluta, corpus male habitum et sexcenta alia inferre orationi Electrae, vbi de parentis morte queritur, vt spectatores eius interitum videre existumarentur. Sed prae nimio moerore illos colores parricidii non moratur, talem, inquiens, eum periisse, qualis securis ictu quercus rueret:

Μήτηρ δ' ἡ μὴ χ' ὡ κοινολεχὴς
Αἴγισθος, ὅπως δρῦν ὑλοτόμοι
Σχίζσι κάρα φονίῳ πελέκει.

Tegit hic lacrymabile mortis genus vmbra conueniente ita, vt tenui modo luce appareat necis crudelitas. Maiorem vero lucem accendit Clytaemnestra apud AESCHYLVM. [p]) Repetit quidem Electra saepius tristem illam imaginem, paullo inferius nihil, nisi mortem foedam (Θανάτῳ ἀεικεῖ) obiisse parentem addit. Vmbras vero istas non casu et fortuito incidere in sermonem Electrae, sed abstinuisse poetam deliberato animo ab luce nimium splendida, videmus in eadem Electra saepius. Perspicue id apparet, vbi Clytaemnestrae irascitur, quae inferias manibus hominis ferre audeat,

Ὑφ' ἧς θανὼν ἄτιμος ὥστε δυσμενὴς
Ἐμαστιχαλίσθη [q])

A qua

o) Agamemn. v. 1393.
p) ibid. v. 1398.
q) Act. I. Sc. 4.

A qua mortuus ignominiose, vt inimicus,
Laceratus est.

Vix e longinquo hic nobis offert spectandum filia facinus horrendum, quo homicidae, peracta caede, manes caesorum impedire volebant, quo minus vindictam de sicario sumerent, qui sibi sanguine vel affinitate fuerat coniunctus. Amputabant a corpore mortuo extremitates eius, nares, aures, manus, et reliqua sensuum membra, quae collo adpendebant. Quantam lucem admittit igitur per suam naturam imago eiusdem deformationis, quam SOPHOCLES obumbrat in oratione natae, tanta mutilatione nimium commotae. VIRGILIVM persona loquentis non detinuit, quin maiore splendore redderet imaginem Deiphobi, eadem Helenae crudelitate deformati:[r])

Atque hic Priamidem, laniatum corpore toto,
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhoneſto vulnere nares.

Quae omnia Electra paucis tegit, quia

Non est conueniens luctibus ille color.[s])

Pari modo Electra de Orestis morte, quam veram existimabat, sororem faciens certiorem omnia, quae multis verbis ab nuncio audierat, momenta, prae luctu nimio inuoluit vmbra, nihil de fratris nece dicens, nisi:

Τέθνηκεν ὦ τάλαινα.[t])

Huc

r) Aeneid. VI, 494. sqq.
s) OVID. Trist. I.
t) Electr. Act. III. Sc. I.

Huc omnino pertinet vmbra, quam HOMERVS mortuo Patroclo inſpergit. Nuncius ad Achillem venit, lacrymas fundit, triſtiſſima ſe ferre contendit:

Κεῖται Πάτροκλος,
Iacet Patroclus.

Haec narratio etiam a QVINCTILIANO collaudatur. u) Quis vero lumen ferat, nimio artificio effuſum in patrem mortuum a CORNELIO, eo loco, vbi Chimene regem adit precibus, vt caedem in Roderico, parentis interfectore, vlciſcatur. *Rex*, inquit, *pater meus interiit, oculi mei viderunt ſanguinem e latere generoſo magna vi ebullientem; illum ſanguinem, qui toties moenia tua defendit; illum ſanguinem, qui tot tibi praelia confecit; illum ſanguinem, qui effuſus adhuc fumat ira, quod pro aliis, quam pro te, ſe videat profluentem, quum bellum in medio diſcrimine profundere non auderet; hoc ſanguine Rodericus in aula tua terram obruit. Egomet ſine viribus ac ſine colore in hunc locum cucurri. Reperi eum examinatum. Ignoſce dolori meo, o rex! Vox me deficit, triſte factum narrantem. Lacrymae et gemitus reliqua melius dicent.* x) Valent ea, quae

u) HOM. Iliad. Σ, 20. QVINCT. Inſt. Orat. X, 1.
x) Vid. Cid. Act. II, Sc. 9. et HOMII Crit. T. II. Cap. 17.

Sire, mon pere eſt mort, mes yeux ont vû ſon ſang
Couler à gros bouillons de ſon généreux flanc,
Ce ſang qui tant de fois garantit vos murailles,
Ce ſang qui tant de fois vous gagna des batailles,

Ce

quae de moerore hic adduximus, exempla, de reliquis etiam animi adfectibus, efficacius exprimendis. Quae tenenda sunt eo magis, quum poetarum nostratium plurimi carmen bellum conscripsisse sibi videantur, si commotiones animi vehementiores rebus alienis amplificent, et coloribus integant longissime repetitis, ita, vt quisque facile videat, non ab natura, sed ab arte, quae tamen in perturbationes animi non cadit, illum splendorem praestringentem produci. Olim quidem illam lucis effusionem reprehendebamus in poetis Italiae, praecipue in TASSO et ARIOSTO, quorum ingenia nihil satis venustum putabant, nihil satis mouere, nisi quod in summa luce vsque ad res minimas fulgeret. Sed ipsi coepimus ruere istud in vitium, quod in aliis perstringebamus.

§. 10.

Continuatur.

Maxime personam loquentem impedire colores lucidos in factis, poetico lumine alias non indignis, censeo, si ea, vti fit in tragoediis et comoediis, secum sola loquatur. Saepe enim mens

Ce sang qui, tout sorti, fume encor de courroux,
De se voir repandu pour d'autres que pour vous,
Qu' au milieu des hazards n' osoit verser la guerre,
Rodrigue en votre cour vient d' en couvrir la terre.
J'ai couru sur le lieu sans force et sans couleur,
Je l' ai trouvé sans vie. Excusez ma douleur,
Sire; la voix me manque à ce recit funeste,
Mes pleurs et mes soupirs vous diront mieux le reste.

mens commota per os viam sibi facit vi, verbisque causſam perturbationis exprimit. Aduersatur autem naturae, hominem, qui secum occupatus est solus, rem, quam nouit optime, ordine dilucido sibi relaturum? Aperte cum vero pugnat oratio illa Pamphili de se ipso ad se ipsum, quam TERENTIVS per quinquaginta versus nimium extendit. y) Maritus ille tristis, exanimatus, lacrumans, rem, quae male ipsum habet, ipso momento actam, neque perspicue solum, sed coloribus maxime nitentibus, ordine continuo, vti facta erat, explicat sibi soli. Darem illam perspicuitatem Pamphilo tranquillo: lacrymanti non do. Decet igitur μονολόγον propter grauitatem causſae non interrupte solum secundum interualla dicere, sed vmbram vbique inducere narrationis suae partibus, ne sub luce nimia sibi constituat, quod non latere existimatur. Quisque enim, distincte qui rem omnem nouit, in sua cum aliis, eiusdem argumenti non ignaris, collatione, momenta tantum grauissima breuibus repetit, reliqua supprimit. Gradatim vero maiorem affundit lucem persona secum loquens orationi, et vmbra sensim perit, quando animus, grauius adfectus, cum alio vere colloqui sibi imaginatur. Rara sunt apud veteres exempla, illam quae legem confirment, quia tum secum loqui non videri cupiebant, sed aperte ad spectatores, vel ad chorum, suam orationem dirigere. Melius vero hanc regulam curant

y) Hecyra Act. III. Sc. 3.

recentiorum nonnulli, e quibus ADDISONEM, decus Britanniae, summis prosequi laudibus, debemus, cuius exemplum in Catone sententiam nostram optime illustrat. z) Cato, rebus desperatis, vim sibi facere qui meditatus erat, abrupta oratione, modo obscure, modo splendide Platoni, quem manu tenet, suffragatur:

It must be so — — Plato, thou reason'st well — —
Esse debet ita — — Plato, tu recte indicas — —

Pergit sensim sensimque magis clare de animi immortalitate philosophari, donec in tanta luce appareat, vt periculum, a Caesare impendens, in vmbra latere videatur, caedes sui ipsius vix coniici possit, et reliquo sermoni iustis locis colores maxime splendidi faciant commendationem. HOMIVS non iniuria laudauit Shakespearium atque eius personas secum loquentes poetis exemplaria proposuit. Nemo est, cui displiceat Hamleti, quem adscripsit, abruptus sermo. Ita naturae respondet. Quomodo igitur exordia tragoediarum Euripidearum HOMIO satis facere poterant, quibus scilicet persona quaeuis sola sibi narrat vitam contra omnem veritatem. a)

§. II.
Adplicatur ad Bucolica.

Saepe loquitur pauper et pastor, vbi decorum facile offenditur a poeta, si res grandes suo colorum

z) Act. V. sc. I. a) HOME l. c.

colorum apparatu poliantur. Cui vitio medetur vmbra, inducta rebus, quae captum personae humilis superant, sua luce candentes. Magno ista temperatio vsui est in Bucolicis, vbi poeta non agrestes solum actiones imitatur, sed etiam pastorum meditationes. Quae quum antiquissimum viuendi morem ponere ante oculos et agrum olere debeant, rebus occupantur humilibus et a rerum grandium splendore nimio atque acumine subtili abstinent. Pastor amat vmbras, ardente sole, poeta subeat easdem, si pastorem nobis vult ante oculos ponere. Miscet autem non raro imaginationis pastoritiae audacia carminibus rusticis magna, et Sicelides musae paullo maiora canunt. Sed hic plane aduersari videmus conditioni rusticae poetam, qui rerum peregrinarum imagines iisdem iubeat distingui coloribus a teste aurito, quibus testis oculatus in vrbe iis parat splendorem. Non semper Panes, Sileni, Fauni, Satyri loquuntur, quibus hymnus audax de mundi origine et futurorum euentuum praedictio splendida melius conuenit. b) Interim tamen pastor loquax libenter aliis etiam concinit, et, quae audiuit, narrat. Quid ergo? Puto, hominem agrestem, aggressum magna, simplicitate cogitationum, modestia, pauore, admiratione, stupore, distrahere posse vmbram coloribus, vt emicet quidem naturalis ille rerum delineatarum

 nitor,

b) Cf. BATTEVX in den schoenen Wissenschaften von Ramlern Vol. I. T. II. Sect. I. p. 328.

nitor, sed minus splendeat, et pastor numquam mente nostra excidat. Silenus igitur VIRGILII: [c])

Quum canerem reges et praelia, Cynthius aurem
Vellit et admonuit: Pastores, Tityre, pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.

vti est in BIONE: [d])

Ἦν μὲν γὰρ βροτὸν ἄλλον ἢ ἀθάνατόν τινα μέλπω,
Καμβαίνει μευ γλῶσσα καὶ ὡς πάρος ἐκ ἔτ' ἀείδει.

Quando enim hominem quempiam alium aut immortalem canto,
Cessat mea lingua, et, vt ante solebat, non amplius canit.

Equidem vinci puto bucolicorum Graecorum triumuiros in vmbra fundenda a VIRGILIO. Ne vero SCALIGERI flagellum, quo SERVIVM caedere videtur, nos etiam petat, dum THEOCRITO palmam tribuit, eosque pauci corruptique iudicii vocat grammaticos, qui sentiant contrarium, intellectum id volo de sola vmbrarum extensione. Haud nego, propter veram simplicitatis rusticae indolem THEOCRITO laudes deberi primas. Sed, quoniam colores in eius picturis per suam naturam haud ita splendent, vti Virgiliani, necesse erat, vt plura

c) Eclog. VI, 3.
d) IV, 8.

ra iisdem tegumentis inuolueret Latinus. Alias recte picturae THEOCRITI comparantur fructibus maturis, primo mane decerptis, ac tenui ſplendore, qui rori recenti ſimilis eſt, obductis. [e]) Simul enim atque in pictura paſtoritia accendi videt poeta locum, qui luce praeditus ſit vehemente atque aliena, neque agri ſimplicitatem prae ſe ferat, ſtatim vmbra eſt minuenda. Conſideremus THEOCRITI Idyllion, [f]) vbi Cyclops, ne eruditionis ſplendorem efferat ſimplex de remedio amoris deliberatio, reliqua ſcire Niciam peritiorem addit:

Ὀυδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
Νικία, ὅτ' ἔγχριστον ἐμοὶ δοκεῖ, ὅτ' ἐπίπαστον,
Ἢ ταὶ Πιερίδες. Κοῦφον δέ τι τοῦτο καὶ ἁδὺ
Γίνετ' ἐπ' ἀνθρώποις. Εὑρῆν δ' οὐ ῥᾴδιόν εστι.
Γινώσκεν δ' οἶμαί τυ καλῶς ἰατρὸν ἐόντα,
Καὶ ταῖς ἐννέα δὴ πεφιλαμένον ἔξοχα μοίσαις.

Nullum contra amorem productum eſt remedium aliud,
Nicia, neque illitum mihi videtur neque inſperſum,
Niſi Pierides. Leue quidem illud et dulce
Eſt hominibus. Inuentu tamen non facile eſt.
Cognoſcere autem illud te exiſtumo bene, qui medicus es,
Atque nouem amiciſſimus Muſis.

Toto Idyllio flammam lucis adſcendentis, vel repetitione, radios extendente, vel, obiectis formis

e) BATTEVX l. c.
f) XI.

mis nouis, mitigat. Ne vero splendor alienus pulchritudinem Galateae, cum lacte albo, agno tenero et caprea saliente comparatae, obruat, vmbram noua comparatione vuae facit immaturae. Rarior vmbra et lumen frequentius conspicitur in BIONIS Adonide, vbi vero vates eleganter inumbrat formam Veneris, quam coloribus optimis potuisset effingere. Obducit vero eam, ne forma Deae splendentior formam Adonidis, hoc carmine luci exponendam, minuat: g)

Ὤλεσε τὸν καλὸν ἄνδρα, συνώλεσεν ἱερὸν εἶδος.
Κύπριδι μὲν καλὸν εἶδος, ὅτε ζώεσκεν Ἄδωνις·
Κάτθανε δ' ἁ μορφὰ σὺν Ἀδώνιδι Κύπριδος, αἰ αἰ.

Amisit formosum maritum, vna amisit sacram venustatem.
Veneri quidem venusta forma, dum viueret Adonis:
Mortua vero forma cum Adonide Veneris, heu! heu!

Sed facillime deprehendes adplicari legem vmbrarum ad eclogas Maronianas, v. c. in rustica descriptione vrbis Romae: h)

Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putaui
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ouium teneros depellere foetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hoedos,
Noram, sic paruis componere magna solebam.

Ita

g) BIONIS Idyll. I, 29. seqq.
h) Ecloga I, 19. seqq.

Ita etiam ternos lucis et vmbrae gradus obseruabis in Daphni. i)

§. 12.

Regula V.

Multa vna lege possumus comprehendere: *Quae a poetae proposito sunt remotiora, iis vmbra est inferenda.* Dominatur in quouis carmine, electo accuratoque nominis eius vsu digno, princeps quaedam actio, cuius expoliendae caussa adpulit poeta animum ad scribendum, ad eamque ducit omnes colores, quos eius penicillum adfundere potest. Est illa quasi norma, ad cuius rationem reliquae carminis partes dirigantur, apto quodam et naturali vinculo inter se coniunctae, et ad vnum finem amice conspirantes, ne quid ab illa aberret. Χρὴ ἕν, praecipit ARISTOTELES, k) καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι, καὶ τάυτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων ὅτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους, ἢ ἀφαιρουμένου, διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον. *Oportet igitur, vt in aliis imitatricibus vna vnius imitatio est, ita etiam fabulam, quod actionis imitatio est, vnius esse, illius autem totius, partesque constare actionum ita, vt, transposita aliqua parte, aut sublata, dilabatur, et moueatur totum.* Illa igitur actio, quae caput operis est, luce plurima nitet, vti vultus praeter

i) Ecloga V.
k) Poet. VIII. extr.

ter reliquas corporis partes prominet in tabula, atque maximam ad se rapit attentionem. Sed adesse solent actiones quoque secundariae, seu minores, positae quidem extra caussam actionis palmariae, neque per se ad argumentum, quod sibi vates proposuit, pertinentes, id vero quae poliunt, illustrant, amplificant. Dicuntur ἐπεισόδια, aduentitia, quae ad exornandas dilatandasque fabulas adhibentur, quibus absentibus vero prius factum manet. SVIDAS l) igitur ἐπεισόδιον esse ait τὸ εἰς τὰ δράματα εἰσαγόμενον, κατὰ πρόσθηκην τινὰ καὶ ἀυξησιν τῦ δράματος, *quod in dramata infertur ad appositionem atque augmentum dramatis.* Risus quidem excitandi caussa proprie adferebatur, (Γέλωτος χάριν,) teste eodem SVIDA, sed καταχρηστικῶς quamuis etiam actionem admittere deinde profitetur. Quae μεταξὺ ὅλων μελῶν, *inter ipsas partes*, teste ARISTOTELE, in medio quasi posita, vnam argumenti compagem faciunt, dum in foedus quasi actionis primae recipiuntur, eique vinculis arctissimis innectuntur, vt abesse quidem possint, sed tamen sine detrimento actionis dominantis diuelli plane nequeant. Sic vides, seruarum officio fungi actiones secundarias, neque eodem splendore ornatas prodire posse, vt lux dominae fastu ancillarum obscuretur. Operam potius dent, vt aliquid ad maiorem illius ornatum conferant. Patitur quidem earum pulchritudo naturalis, vt maius lumen, vt splendor

l) Edit. Kust. p. 798.

dor iis afferatur, absolute si ponantur, quem cultum in connexione, cum alia comparatae, respuunt, impedientes lucem actionis primae, cuius causa sunt additae. Cogitanti igitur de carmine poetae, ante, quam manum admoueat, considerandi sunt, in opere disponendo, gradus actionum secundarum, quae videntur innectendae. Eat sollicita mentis opera per earum ordines, notatis iis, quae propiores argumento respondeant, et quae sint ab eo remotius disiunctae.

Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo [m])

Illas deinde, quae minus distant a proposito, vmbra leuiore, has, quae tantum e longinquo videantur, crassiore velabit.

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat. [n])

Id ipsum pertinet ad mores, siue ἦθη, de quibus ARISTOTELES [o]) disputat. Multae personae conueniunt in carmine, quarum, vti *Aetatis cuiusque, notandi sunt tibi mores.* [p]) Sed vincere non debent sociorum mores actoris primarii habitum, sed lucem illi conciliare, defectione sua maiorem. Qua de caussa poeta omnem operam, omne studium in eo collocat,

m) HORAT. Art. P. 40.
n) ibid. 144.
o) Poet. c. 7.
p) HORAT. l. c.

vt eos, qui proxime agunt cum principe carminis, lucere quidem praeter alios iubeat, sed tamen vmbram iis inducat tenuem, maiore obuolutis iis, qui remotiores sunt ab actore primario. Mores licet non semper differant in genere, tamen beneficio vmbrae adfusae distinguuntur gradibus. Deinde cuiusuis etiam personae mores in specie notantur. Quamquam multae virtutes, multa vitia in vno eodemque homine conueniunt, vnum tamen vitium reliquis est superius, vna virtus inter caeteras tenet principatum, et trahit sua quemque voluptas. Sit habitus ille animi, homini inueterata consuetudine gratissimus, ad virtutem, ad vitium comparatus, in tanta tamen constituendus est a poeta luce, vt splendeat maxume, reliqui vero eiusdem personae mores vmbram subeant.

§. 13.

Adplicatur ad HOMERI *Iliadem.*

Quae vmbracula quo melius discernantur, exempla perlustrabimus, quae HOMERI, in dispensanda vmbra facile principis, exhibet Ilias. Vocat quidem HOMERVM, Troiani belli scriptorem, HORATIVS ad Lollium, q) sed eius tamen auctoritas me non impedit, quo minus Achillis iram pernicioſam pro prima totius poematis sententia habeam. Etenim eam non in fronte solum ponit ipse vates:

Μῆνιν

q) Epistol. I, 2, 1.

Μῆνιν ἄειδε Θεὰ, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην,

sed etiam per totum opus videmus eam eminere, omnes actiones reliquas cum ea connecti, omnes personas propter illam caussam proferri in medium. Achilles apparet etiam illis locis, vbi de eius nomine nulla fit mentio. Flectit enim eius splendor radios vel ad omnia episodia, neque tamen ea, in quibus lux apparet magis temperata, offundunt tenebras luci Achilleae. Pingitur in capite operis ira Apollinis, sed coloribus velata obscurioribus. Multos quidem populos perdit ira dei, Graecis infensi, sed tanti heroes non cadunt, quanti pereunt feruore Achillis. Vides imaginem Agamemnonis, ablata Chryseide, ira incensi, omneque virus acerbitatis in Achillem euomentis. Sed quanta nube tegitur acerbitas Atridae, si eam cum vehementiore Achillis ira comparaueris. Agamemnonis commotio quidem emicat ex oculis, patet ex ore aspero, conspicitur ex raptu Briseidis. Sed in ea vmbram solum vides iracundiae imperatoris aduersi. Furit Achillis pectus, ipse capit ensem, confecturus inimicum, dea placatum eum descendere debet ex olympo, aegre ille manum ab Agamemnonis vita abstinet, vehementius in eum iuuehitur, conuiciis onerat, iurat, per sceptrum iurat, fortissimi viri desiderio laboraturos Achiuorum vniuersos, proiicit sceptrum indignabundus. Nestor, qui animi aequitate iram Achillis reddit splendidiorem, vmbram miscet ei crassam

oratione

oratione tranquilla, poeta ſimplici commemoratione facti, redit ira Achillis et magis fulget, deorum concilio in eius vindicta occupato. Paratur praelium, enumerantur naues et copiae, educuntur milites, fit pacis obtinendae cauſſa certamen ſingulare, turbatur foedus a numine, confligitur vtrimque, Graeci male rem gerunt, perturbatur Agamemnon, caedes fit ingens, Apollo abſentiam Achillis prodit Troianis iisque facit animum, dii vulnerantur a Diomede cedentes, feruntur ſacra Mineruae, prodit Hector, ſtrenue pugnat ſolus cum ſolo, Iupiter ipſe agit ſpectatorem, Graecos Troianis iubet eſſe inferiores, arcet fulmine Diomedem, in Troianos euntem, ac docet in ſenatu, velle ſe vlciſci Pelidae violati iniuriam. Nusquam ibi primo intuitu videtur agere Achilles, et tamen vbique agit. Vmbris tegitur eius ira, ſed vbique cernitur, dum mala tanta Graeci cum ipſis diis propter eius abſentiam patiuntur, quae, praeſente ipſo, non acciderant. Agamemnon, rebus diffidens ſuis, per legatos conatur iram viri ſedare, quo carere non poteſt: ſpernit ille dona magnifica, reiicit conditiones pacis, neque orationibus amicorum, neque ſponſae pulcherrumae venuſtate, neque deorum, iram prementium, exemplis poteſt moueri. Vide vmbras magis cumulatas, elucentem aeſtum herois. Agamemnon, praelio redintegrato, ſauciatus excedit conflictu, Hector incredibili virtute pugnat, ſuperatis ducibus fortiſſimis, vi claſtra portarum

tarum castrensium effringit, et Graecos in fugam coniicit. Quot mala Pelides, pugnam detrectans, ciuibus euenire patitur immotus! Ad summum denique escendunt res ciuium aduersae fastigium. Troiani appropinquant ad naues, ignem coniiciunt in classem, neque lacrymis hominis, sibi coniunctissimi, locum dat Achilles, vt arma capiat, tantisper dum, Patroclo Hectoris virtute interemto, ira se Achillis vertit acrior ab Agamemnone in Hectora, a quo vindictae cupidus poenas interfecti amici expetit, et, pulsis Troianis, victorem Patrocli trucidat. Iam vide, quaeso, Hectoris virtutem, e qua magnum lumen prodit, sed minores tamen illud radios spargit, cum Achillis splendore comparatum. Est in Hectoris igitur pictura lux temperata, in Achillis effigie splendor, ab illa Hectorea elatus. Mirifice autem clauditur carmen, quum amplo Achilles prosequitur funere Patroclum, et iram morte aduersarii finitam docet Priamum, corpus filii mortuum obsecrantem, vt a quouis latere sint loca opaca, quibus magnitudo emineat Achillea, et in ipsa vmbra ex oculis elabi eius ira videatur. Libellus vix sufficit, si omnes ex ordine vellem vmbras tangere, quas poetae ars carmini immiscuit.

§. 14.

Continuatur.

Tribus saltem verbis ipsos personarum mores ex hoc capite enucleabimus. Enitet vbique Achillis

Achillis magnitudo, reliquae imagines omnes per grâdus in vmbra sistuntur. Hector vmbra distinguitur ab Achille leuissima, solo eius nomine territus, vincit reliquos duces splendore. Magis labitur nitor Agamemnonis, maiestate quidem regia fulgentis, iis vero virtutibus non praediti, quibus Hector atque ipse Achilles eminent. Eodem modo Diomedes, Nestor, Vlysses, Priamus, Aiaces, Menelaus, obscuriores cernuntur iis, de quibus iam feci mentionem. Summum vero vmbrae gradum in Paride animaduertes et Helena. Virtutibus plane quidem geminum illud in scelere par non caret, sed coloribus illae exprimuntur tam subtilibus, vt vix oculis cernantur. Metus pugnae in adultero et perfidia in coniuge satis opaci miscent splendori reliquorum. Tandem etiam Achillem solum lustrabimus. Pingit poeta eius pietatem ingenuam, animum, nullis territum periculis, virtutem summam, amicitiam fidelissimam, magnanimitatem insignem, coloribus luculentis. Ardet vero ex omnibus animi corporisque virtutibus irae flamma, quacum comparatae virtutes reliquae, nihil, nisi vmbrae, sunt aestimandae. Neque dubitarem, VIRGILIO in artificiosa lucis moderatione eamdem laudem tribuere, quia vmbrae variis locis mirifice variantur. Sed tamen nonnulla me loca, vmbris aptissima, quae coloribus extulit nimiis, cogunt, vt alterum ei demum locum inter istos artifices constituam. Vnum saltem,

qui

qui me pungit, e pluribus affero. Plena luce fulget in Aeneide[r]) descriptio sepulturae, quae plane abesse poterat, saltem in tanto splendore non debebat constitui. MISENVM vates non adeo fecerat carminis perpetui participem, vt eius pompa adeo splendesceret. Dicis, fuisse MISENVM Hectoris tubicinem, Aeneae comitem. Esto. Sed indigna morte peremtus, audaciae poenas dederat, neque alias in tota Aeneide partes egerat, nisi tubicinis, cuius sepultura tantam non merere videtur admirationem. Magis placet funus Caietae, duobus versibus expositum.[s]) Opus quoque totum si spectes, haudquaquam discipulum eadem arte miscere intelliges, qua praeceptorem Graecum. Saepissime vero hic offendit LVCANVS, vt eum paene nihil de vmbra, luci immiscenda, cognouisse iudicarem. Collustrat iste res, quae circumstant, minimas adeo, vt oculorum aciem obtundant. Satis me mordet eius anus Thessala, vt reliqua ne vrgeam quidem. Ad tragicos quod attinet, amo ante omnes SOPHOCLEM. Scite in eius ANTIGONE et ELECTRA soror vmbra est sorori, neque minus grate Neoptolemus et Vlysses in PHILOCTETE mores suos sibi opponunt. Inter recentiores ATHALIAM Racinii praefero reliquis et maxime quidem commendo.

§. 15

r) VI, 212-231.
s) III, 294.

§. 15.

Regula VI.

Tandem vmbram puto esse necessariam, vbi male de innocentia poetae queat iudicari, nimiam si lucem effundat alicuius vel virtutibus, vel vitiis. *Quae igitur mali consilii speciem prae se ferunt, vmbra inducuntor.* Possumus animi mali suspicionem mouere, satyrae si nostrae hominem, cuius vitia perstringimus asperioribus verbis, tanta in luce velint collocare, vt quiuis possit digito monstrare ac dicere: *hic est.* Ergo decet poetam, famae consulentem suae, vitia quidem declarare et summa claritate risui exponere, personae vero parcere, certe post velum eam constituere. Ea quidem me non amplius morantur, de quibus in praefatione operum RAENERVS et in aureo libello t) RAMLERVS pluribus verbis commentantur accurate. Saepius autem fit, vt, laudibus profusis, in adulationis crimen incurramus, dum vel ipsam personae laudatae laedimus modestiam, vel apud alios in humilis animi cadimus suspicionem. Fax quidem est mentis honestae gloria, secundum SILIVM ITALICVM, at illa fax oculos praestringit, si propius luceat, ac nimium faciat splendorem. Accidit CAMPANO, qui BESSARII purpurati laudes nimium quantum celebrauerat, vt verecundus ille BESSARIVS inter ipsos complexus diceret: *Amice Campane, vbi sunt illi digiti, qui tot de me mendacia scripserunt?* Ne igitur lucis prodigi, vel in aliis ruborem moueamus,

t) l. c. T. II. Sect. IV. Art. 2.

ueamus,' aperta virtutem enumeratione, vel ipsi ducamur despicatui, etiam atque etiam commendatur, vt fiat laudatio per ambages in loco vmbratili, vbi vix queat cognosci. u) Cognoscitur tamen e longinquo et consulit modestiae decus eleganter occultatum. Quam inepte igitur LVCANVS Catonem, Pompeium, Marium laudat, coloribus, adeo fulgentibus eos fucans, vt diis ipsis eorum laudes inferant detrimentum. Neque MARTIALEM puto vbique turpem assentatoris notam effugere. Domitiano blandiens humiliter de palatii splendore, Iouis minuit magnitudinem in calce epigrammatis: x)

Esse velis oro serus conuiua Tonantis:
Aut tu si properas, Iupiter, ipse veni.

Melius

u) BOVHOVRS Art in wizigen Schriften wohl zu denken p. 276. Ein plumpes Lob ist, wenn es noch so wahr ist, fast eben so viel, als eine Beschimpfung und vernünftige Leute koennen es nicht vertragen. Ich verstehe durch das Wort plump ein offenbahres vnd ganz kenntliches Lob, welches keine Decke vm sich hat. Hingegen ein niedliches Lob ist ein Lob, welches so herumgebracht ist, dass es kein Lob zu seyn scheinet und die sittsamsten Leute ohne zu erroethen anhoeren koennen. Kurz, es ist zwischen beyden ein so grosser Vnterscheid, als zwischen einem auserlesenen Raeuchwerk vnd einem dicken Dampfe.

x) MART. Epigr. VIII. 39.

Melius MARO simul in eclogis, simul in epico carmine, Augusti honorem velat ita, vt non sine insigni splendore emineat. Maius vero est plausibus nostris carmen Horatianum, y) quod vates, Bacchi afflatus numine, et mente concitatus, scripsit in Augustum. Quem licet in transitu modo tangere videatur, et vmbris continuis inuoluere, insignius tamen meo quidem iudicio laudandi Caesaris aegre inueniemus exemplum. Nusquam eius picta videtur imago, vbique adfecta, sed, aciem si melius intendas, summam egregii viri gloriam sine vlla adulationis specie poeta sistit ante oculos, vi sentiendi ea, quae sunt venusta, quasi armatos. Nescio, vtrum primo loco nominare debuissem carmen, z) vbi dii, heroes, virique omnium clarissimi vmbram constituunt luci Augusteae, vbi

micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores;

vbi inter Iouem et Caesarem imperium vniuersi diuiditur, vt alter in caelo regnet, alter orbem terrarum et res humanas moderetur; ego vero id scio, nostra aetate non deesse poetas, qui propter laudes mira arte aliis datas laudibus digni sint. Quis GERSTENBERGII *Gratias* sine delectatione legit? quis amabilem poetam negat esse plausu osculoque venustissimae puellae digniorem? quis melius Chloen laudauit, quam

y) III, 25.
z) I, 12.

quam ille fecit in lepidissimo lusu, vbi ne cum Aglaia quidem vult hunc amorem, commutatum. Quid? quod affirmare audeo, se etiam pro hoc ipso carmine artificio non minore laudatum esse in *epistolis, de re litterata referentibus.*[a]) Ingeniose fingitur opus ALCIPHRONIS inuentum in Herculani bibliotheca subterranea, cui nomen fuerit Ερωτοπαίγνιον, e quo Gratiae illae, Neapoli ab erudito peregrinatore in Germaniam missae, demum in patrium sermonem fuerint translatae. Poema adscribitur, quo probato, fraus pia atque comis detegitur, non graecam esse, sed germanicam huius carminis originem. En nobile figmentum! Ita enim est, quod nemo Graecis habetur in laudando venustior. Quantum ANACREON se praebuit artificem! Venit in manus lepidum carmen, quo Bathyllum suum vult extollere, idque facit, sed ne verbulum quidem de eius pulchritudine suoque amore protulit, ad hirundinem vbi verba facit.[b]) Nihilo tamen minus vbique cernitur Bathyllus adamatus. Poenae, quibus plectere vult auem, suaue de puero somnium garrulitate matutina fugantem, satis efferunt acerbam dulcissimae imaginis iacturam. Quis excoecatus est adeo, quin amorem poetae ac pulchritudinem Bathylli ex vmbra hirundinis clarius conspiciat? Omnino placet hic ingenium ANA-

a) *Briefe die neueste Litteratur betreffend* T. II. epist. XXXII.
b) Od. XII.

CREONTIS mirificum: minus tamen placebit comparatum in hac cauſſa cum illa Gleimiani ingenii amoenitate diuina, quae in meliorem vſum Teii inuentum conuertit. Pro puero triumuiros poetas vir elegantiſſimus ſumit celebrandos, vmbram Graii denſiorem vmbris minus denſis pulchre temperat, ſomnii argumentum clarius expingit, atque hic etiam in tranſitu colorum artem exhibet inſigniorem. Nolo carmen ipſum adſcribere: ſed me continere non poſſum. Ecce vel inuito mihi e memoria excidit in chartam:

Willſt du kleine Schwaezerin,
Der ich ſonſt gewogen bin,
Daß ich deine Flügel beyde
Mit der Scheere dir beſchneide?
Oder ſoll ich grauſam ſeyn
Und ein ſcharfes Meſſer nehmen
Und dir deine Zunge laehmen?
Denn mit ihrem frühen Schreyn
Hat ſie meine ſchoenen Traeume
Weggeiaget. Lorbeerbaeume
Hoch und niedrig, iung und alt,
Machten einen ſchoenen Wald:
Quellen murmelten in Menge,
Sichtbar war des Waldes Geiſt
Und unſterbliche Geſaenge
Sangen Friedrich, Uz und Kleiſt.

At confeſtim me poenitet ſcripturae. Scilicet adeſt Muſa, (quae GLEIMII carmina ſub omnes caeli plagas comitatur) aurem vellicat atque

atque alias odas festiuissimi hominis suggerit, quae cum hac possint contendere de principatu. Plures igitur ipse velim legas ac meam exadumbratione earum capias voluptatem. Ecquem non strabonem ac pactulum esse arbitrer, qui non in plurimis laudibus, a GLEIMIO dictis, eximium luminis et vmbrae artificium videat?

§. 16.

Duplex carminis finis vmbram postulat.

Laudi ducitur poetis, duplicem carminibus dotem conficere, alteram, qua prosint, et alteram, qua delectent. Etenim omnibus omnium suffragiis praestantissimi iudicantur ii, apte qui faciunt vtrumque, et in magno rerum lautiorum cumulo vtilitatem cum voluptate coniungunt. Qua arte cuiuis placent, seniores honesto atque vtili, iuniores dulci ac iucundo capiunt, iudicium et fauorem vtriusque aetatis deportantes. Eadem igitur voluptate Homerica carmina repetuntur a sene morosо, qua solent legi ab iuuene hilari; nam vterque pabulum ex iis capit, sibi appositum, in mirabili illa rerum varietate, quae non grauia solum complectuntur, sed etiam, tristibus iucunditate quadam mitigatis, animos reficiunt et cuncta seueritatis taedia leuant. Vt voluptatem in animis lectorum efficiat, lusisse existimant plurimi Anacreontem. Nihilo tamen minus alteram etiam dotem dictam esse poematis a Teio, negat nemo, ea qui pe-

 nitus

nitus contemplatur et diligentius notat sparsa festiuis seuera. Multis locis leporem iudicio temperatum inuenies, et sententias, quasi rosis iniectas, vti alii poetae floribus sententias exornant. Quae quum ita sint, operam ponit poeta non exiguam in adducendis iis, quae faciunt ad delectationem, siue sint in rebus ipsis venustates, vt res suapte natura sint iucunditate quadam ornatae, siue positione et eloquutione iucunditas efficiatur. Nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus, armis praeliatum in caussis Ciceronem docet FABIVS. c) Sic etiam poeta. Siue adferant res ipsae molle ac facetum, quod in Virgilio laudauit Horatius, siue id stilus adiiciat, ad vtrumque paratus erit. Sed in vtroque lux effusa minus respondet proposito, nisi opaca dispensentur. Etenim necessitas vmbram interdum postulat, ornatus semper exigere videtur. Nullus ornat cultus, nullus extat color, nisi colores diuersissimi sint in vicinia. Est in isto genere ornatus eadem poeseos et picturae ratio. ΟΦΘΑΛμοῖς Φίλον μὲν χρωμάτων τὸ λαμπρότατον, ἀλλ' ἐὰν μὴ παραθῇς τὸ Φαιὸν, ἐλύπησας αὐτῷ τὴν ἡδονήν. d) *Oculis gratus quidem est color splendidissimus, sed ei nisi fuscum addideris, dolore affecisti voluptatem.* Sicut in pictura monente PLINIO iuniore e), lumen non alia res magis, quam vmbra, commendat, ita in poesi maximum adfert

c) Inst. Orat. Lib. VIII, 3.
d) Max. Tyrius Dissert. XXXV.
e) III, 13.

adfert ornamentum. Id ipsum vero artes imitatrices iterum profecerunt a natura, quae, nulla etiam cogente necessitate, sponte gratissimis locis maiorem iucunditatem parit, constituens ad augendum decus opaca, vbi non opus erat requiete. Adi regiones omnium amoenissimas, quarum ingenium a poetis praeter caetera cantu celebratum est, vocant Tempe: maximos illius tractus honores videbis proficisci ab nemore,

Praerupta quod vndique clausit
Silua.f)

Eodem modo poeta vmbram inducit et rebus et ipsi quandoque stilo, vt venustior carmini sit ornatus.

§. 17.

Vmbra oppositorum.

Quantum valent similitudines ad inferendam rebus lucem, et ad exprimendas rerum imagines elegantius, vt non aperte solum, verum circumcise etiam atque velociter, ante oculos ponantur: tantum possunt oppositа et lucis et iucunditatis inferre rebus, quae sunt contrariae, aut saltem diuersae. Simul enim rem cogitamus illustrandam, simul etiam cum ea meditamur, quod sibi repugnat. Tum id, quod aduersatur, corpus quasi obiicit opacum, vnde plus splendoris redit ad rem, cuius caussa oppositum in men-

f) Metam. Ouid. I.

tem nobis veniebat. Oculus, qui tenebris ad tempus obductus erat, facilius delectatur luce, quae redit sub adspectum, et sol melius splendere videtur, postea quam nubibus tectus fuerat. Ita oppositа etiam, iuxta se posita, magis elucent. Quis est, cuius in oculis non pulchrius sit Elysium illud poetarum, quod videt, ex Orco reuersus ? Sunt illa loca laetiora, aether splendentior, et voluptates hominum beatorum pleniores, quando prius horridae Stygis paludes, tenebrae tartari, inferorum monstra, atque acerbissima furiarum tormenta versabantur ante oculos. Neque aliter magis eminent tristia, laetis vicina. Obitus Daphnidis Virgiliani tristior est pastori, qui gloriam eius viderat ante, quam tristitiam, eius morte inflictam, sentiret. Manifeste ponit ornatum crescentem ἀντίθεσις αὐξητικὴ. g)

Vitis vt arboribus decori est, vt vitibus vuae,
Vt gregibus tauri, segetes vt pinguibus aruis,
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandauimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles dominantur auenae.

Solet Horatius saepe res diuersas et contrarias iuxta se constituere, atque amicum inde ornatum carminibus conciliare. Vult temporis verni suauitatem canere, tristitiam, quam hiemis attu-

g) Bucol. V.

attulit deformitas caelique grauitas, repetit, atque a frigore gratiam facit Zephyro, a ſtabulis forique otio amoenitatem agri laudat, a canis pruinis prata magis virentia ſiſtit. [h]) Viri boni ſecuritatem vitae picturus, offert vmbram a periculo tyranni minus tuti, cui cuſtodes corporis variique generis arma, quibus ſe tegat, ſunt opus. [i]) Dum ſodales, inter conuiuandum rixantes, placare ſtudet, ſcyphorum pugnae vſum laetitiae, Bacchum verecundum ſanguineis rixis, vino et lucernis Medum acinacem ex aduerſo ponit, vt magis eniteat iurgii et poculorum ingens diſſimilitudo. [k]) Si vero ſuadet hilaritatem vitae et ad conuiuia vocat, eleganter ſolet comparare vitam cum morte, ita, vt ab vmbra ſepulcri magis ſplendeat vitae ſuauitas. Iam vitae ſummam breuem ſpei longae, iam noctem, fabulas, ſiue manes, domumque Plutoniam, arbitro bibendi et amoribus teneri Lycidae collocat e regione, iam, nigrorum ignium memor, ſtultitiam conſiliis miſcet, ac ſeria ludicris addit, vt alterum alterius beneficio extet. [l]) Inſignem etiam pulchritudinem pariunt in carmine ad Varium Agrippam [m]) oppoſita heroibus fortiſſimis praelia virginum:

h) Carm. I, 4. IV, 7. IV, 12.
i) Carm. I, 22.
k) Carm. I, 27.
l) Carm. I, 4. IV, 12.
m) Carm. I, 6.

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut puluere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden superis parem?
Nos conuiuia, nos praelia virginum,
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus vacui.

Egregie arridet ille locus propter coniunctionem verborum, quae sua natura disiuncta et opposita sunt, venustatemque reddunt eximiam peritissimo illi venerum Horatianarum aestimatori, KLOTZIO, qui elegantiam versuum illorum simul ipse demonstrat, simul contra BENTLEIVM strenue defendit. n)

§. 18.

Vmbra oppositorum in eodem genere.

Quum vero in his etiam pulchra sit varietas, alia opposita leuiores, alia densiores vmbras offundunt. Eiusdem quae sunt generis antitheta, maiorem vmbram sistunt, quam ea, quae dispari genere a se dissident. Haec enim, quae sunt eiusdem generis, iam satis nota sunt, neque ita feriunt oculos, vt satisfaciant animo, rerum nouarum cupido, neque tot gradus habent dissimilitudinis, vt in aduersam partem lux insignis repercutiatur. Illa vero, quae vulgo habebamus pro similibus, quod ad idem genus pertinent, illa, inquam, eo magis discrepant, si praeter

n) Vindic. Horat. p. 107.

praeter opinionem dissimilia compareant. Tum alterius vmbra alterius lucem effert ornatius. Est alia comparatorum ratio. Collatis rebus, quae sunt eiusdem generis, lux minor oritur, quam ea si componas, quae maxime diuersa videbantur ante, quam comparares. Confer heroem cum alio viro forti, mutuare lucem ab hoc, vt ad illum resiliat, neque tamen videbis insignem splendorem ex hac comparatione in heroe nasci. Sed fac collationem eius cum quercu, cum leone, cum deo ipsoque Marte, et ista generis discrepantia inducet mirificum lumen heroi comparato. Senectus Laberii, quem supra laudauimus verecundum, magis eneruata creditur, cum hedera comparata, quam si cum aliis senibus collatio esset facta. Ille apud MACROBIVM: o)

Vt hedera serpens vires arboreas necat,
Ita me vetustas complexu annorum enecat.

Sed in oppositis vmbra fit auctior, idem si genus secum altercari videatur. Vides id potissimum ab artifice obseruari. Pone, effictum esse a statuario immane gigantis monstrum, iuxtaque passerculum positum. Ne puta, gigantis corpus maius iri visum, propterea quod auicula minuta adsidet altissimo comiti Vulcani. Sed artifex adponit hominem alium, statura humili et corpore exiguo. Tum demum paruulus formam gigantis effert altius, vt ille longe minor, hic vero maior, esse videatur.

Ita

o) Saturnal. II, 7.

Ita duae formae, quarum prior speciem prae se fert eximiam, posterior foedam, collocantur propter se, vt illius venustas huius turpitudine augeatur, vti femella pallentem faciem pepli colore pullo reddit magis viuidam. Magis decora videtur mors pro patria, postquam militis fugitiui vita misera opposita est apud TYRTAEVM, ac magis splendet, propter adfusam vmbram, pictura viri fortis, ante principia cadentis, quam simplex Horatii sententia:

Dulce ac decorum est, pro patria mori. p)

Gnatho Terentianus magis nitet constitutus propter socium sui loci atque ordinis, itidem qui patria abligurierat bona. Videt illum sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum. Misero parasitus se opponit: q)

Quis color, nitor, vestitus, quae habitudo est corporis?

Hic colorem videmus ab sento, nitorem a squalido, vestitum a pannis annisque, habitudinem corporis ab aegro extolli. Ac longe splendentior redditur Gnatho, miserior famelicus iste, vbi ad macellum laeti obuiam concurrunt parasito cupedinarii omnes, cetarii, lanii, coqui, fartores, et nescio qui alii rerum delicatiorum commissationumque ministratores. MARTIALIS

p) TYRTAEI Carm. I, 1. seqq. coll. Hor. III, 2, 13.

q) Eunuch. Act. II, Sc. 2.

LIS ab nocte splendorem Caesaris aduenientis collustrat ornatius in epigrammate: r)

Iam, Caesar, vel nocte veni, sint astra, licebit:
Non deerit populo, te veniente, dies.

CATVLLVS eodem modo soles occidentes et redeuntes ponit contrarios luci occidenti noctique perpetuae quando fragilitatem hominis probat puellae eamque reddit pro graui argumento repetendi osculi:

Soles occidere et redire possunt:
Nobis quum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetuo vna dormienda. s)

PINDARVS etiam, lyram dum cantat, ornat illum locum vmbra illustri, gratis poeseos effectibus obiiciens terrorem, quem inferis iniicit. t) Summa arte imagines maxime lucidas coniungit, et vmbras spargit in opposito Typhone. Id oppositum vmbram principem efficit. Sed quia vult etiam, imagines lucidas magis eminere, singulis singulas vmbras ducit, vti pictor cuiuis vuae in tabula vmbram singularem pingit, ad augendam lucem partium minorum. u)

Primum

r) MART. VIII, 21.

s) CATVLL. ep. V. coll. HOR. IV, 7.
Damna tamen reparant celeres caelestia lunae
Nos vbi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
Puluis et vmbra sumus.

t) PINDAR. Πυθίων A.

u) Consule HAGEDORNIVM von der Mahlerey p. 274.

Primum lyram, fulminis vim auertentem, ponens, ignem aeternum extingui praedicat:

Τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν σβεννύεις
Ἀενάϱ πυρὸς.

Cuſpidatum ſulmen extinguis perpetui ignis.

Notabis pugnam in aeternitate ignis atque eius deletione. Alia pugna videtur eſſe in aquila, cuius ſedes in ſceptro Iouis, cuius veloces alae, cuius regium inter aues officium, quieti opponuntur. Facilius tamen lyra ſomnum offundit.

Εὖ-
δει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς, ὠ-
κεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρω-
θεν χαλάξαις,
ἀρχὸς οἰωνῶν, κελαινῷ-
πιν δ' ἐπὶ ὀι νεφέλαν
ἀγκύλῳ κρατὶ (βλεφάρων
ἀδὺ κλῆϱον) ἐγκατέχευας. Ὁ δε κνώσσων,
ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, τεαῖς
ἰυγμαῖσι κατασχόμενος.

Dormit vero ſuper ſceptro Ionis aquila, velocem alam vtrimque demittens, rex auium: obſcuram vero ei nebulam ſuper aduncum caput (palpebrarum dulce clauſtrum) offundit. Illa vero ſuauiter dormiens mobile tergum attollit, tuis iaculationibus occupata.

Venit ad armatos, qui delectantur cantu:

κϛ'

καὶ γὰρ βια-
τὰς Ἄρης, τραχεῖαν ἄνευθε λιπὼν
ἐγχέων ἀκμὰν, ἰαίνει καρδίαν
κώματι.

Quia etiam, violentus Mars asperam vbi seposuit hastarum cuspidem, delectat cor cantu. Quem praeterit, quantum vis Martis effera, hastaque non lenis, a delectatione cantus differat? Nonne maior citharae est commendatio, tantum si possit supprimere ardorem bellicum? Deinde probat, caelestes animos Musarumque amicos e sonis fidium perfundi voluptate:

Κῆλα δὲ, καὶ
δαιμόνων θέλγει φρένας ἀμφί τε λα-
τοΐδα σοφίᾳ βαθυκόλ-
πων τε Μοισᾶν.

Tela vero etiam daemonum mulcent animos, et cum Latoidae sapientia profunde succinctos sinus Musarum.

Notas iterum κῆλα τῷ θέλγειν eleganter opponi. Tela enim, quibuscum sonos comparat, cor transfigunt quidem, non mulcent. En vuas, vt cum pictoribus loquar, quarum singulae omnes luce et vmbra gaudent. Sed oculos etiam coniicias velim in obiectam imaginem, siue vmbram primam, quae laetam Musicae vim cum maxima venustate extollit.

Ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε
ζεὺς, ἀτύζονται βοὰν
πιερίδων ἀΐοντα,
γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον.
ὅς τ' ἐν αἰνᾷ ταρτάρῳ κεῖ-
ται, θεῶν πολέμιος,
Τυφὼς ἑκατονταπάραυος κ. τ. λ.

Quae vero non amauit Iupiter, terrore percelluntur, vocem Pieridum si audiuerint, tam in terra, quam in mari impetuoso, qualis, qui in crudeli tartaro iacet, deorum hostis, Typhos centiceps.

Egregie iterum posteriora prioribus respondent. Ructus ignium e faucibus Typhonis et fluuii Aetnaei obiecti sunt fulmini, ab lyrae cantu extincto; Vulcani bellua Iouis aui; mobile tergum aquilae *) dorso gigantis immobili, quum

*) Haec sibi non facile respondent, si cum ERASMO SCHMIDIO, cuius exemplum est in manibus, ὑγρὸν νῶτον, tergum perfusum interpreteris. Neminem quidem latet, nisi eum, qui plane sit expers litterarum graecarum, et in carmine, et in oratione soluta, ὑγρὸν de humido et liquido adhiberi eique contrarium esse ξηρὸν, secundum ARISTOTELEM de generat. et corrupt. L. II. c. 2. Saepius etiam occurrit ὑγρᾶς ἀρερας βῶλος apud SOPHOCL. *Aiacem*; ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων apud HESIOD. Op. et dies 625. Imo ὑγρὰ siue ionice ὑγρὴ Graecis idem est ac θάλασσα, vnde HESYCHIVS recte explicat, ἐφ' ὑγρὴν, ἐπὶ τὴν θάλασσαν, ὑγρὰν γὰρ αὐτὴν εἶπεν πρὸς ἀντιθεσιν

quum Sicilia ei est imposita et niuosa Aetna, columna caelestis ligatum monstrum cohibet, vibicibusque affligit; pectora pressa delectato Martis cordi; hostis deorum animis caelestibus. Plurima

τιδιαστολὴν τῆς γῆς, ξηρᾶς ἔστης. Quis igitur offendatur expositione minus graeca? Offendimur autem interpretatione minus idonea. Cur enim perfusum aquilae tergum pingatur? Olebat illud dubium interpres, ac non in translatione solum adiiciebat: perfusum *delectando*, sed etiam in notis: tergum humidum, id est, cum reliquo toto corpore delectatione vbique perfusum, inter dormiendum incuruatum, attollit. Miror, ad ellipsin minus vsitatam confugere virum, quem in Graecia fere habitare censebant olim eruditi. Difficulter probari potest ex vllo auctore Graeco, τέρψιν siue χαρὰν adiici ὑγρῷ. Difficillime autem locum inueniemus, vbi nude ponatur ὑγρὸν, omissa voce τέρψεως. Profecto duriuscula est eiusmodi ellipsis, ne Latinis quidem in vsu, qui pectus quidem perfundi gaudio dicunt, non autem perfusum pectus habent pro delectato. Quid igitur? Accipi malo istud epitheton sensu metonymico, vt caussa sit posita pro effectu, vel etiam metaphorico, vt humidi attributum dorso aquilae adiiciatur. Quia non solum humida sunt mollia, sed etiam flecti facile possunt, non male exponendum est ὑγρὸν per flexile, vti apud Latinos vox liquida datur Musae ap. HORAT. I, 24. et auibus apud LVCRETIVM Lib. II, 145. Sic apud Graecos AELIANVS in variis historiis XIV, 7. de pueris Laconicis, mollius membrum habentibus, loquens, vtitur eadem voce. Ridicula prodiret interpretatio, si velles humidum explicare. Iniuriam quoque faceret *Demostheni* LONGINVS, si humidum ingenium,

Plurima eiusmodi exempla reperiuntur in Pindari carminibus, quorum indoles ante alia ornamenta illud decus amat. Elegans etiam est, vbi

quale apud nos cantoribus tribuitur, perhiberet de oratore. Πνεῦμα ὑγρὸν ei est flexuosum, quod, vti explicat ipse, facile redit digressum. LONGIN. ὕψος Sect. XXXIV. cf. Heinecken in nota h. l. Opponitur etiam ὑγρὸν extenso apud HIPPOCRATEM: Τὸ ὑγρὸν κεῖσθαι τὸ σῶμα πρὸς ἀντίθεσιν αὐτῷ λέγεται τῷ τεταμένῳ. Vid. AMET. FOESIVS in Oeconomia Hippocratis p. 380. Consule etiam STEPHANVM, qui ex *Euripidis* Theseo ὑγρὰς ἀγκάλας molles ac teneros, mallem flexiles, lacertos vertit, et ex Poll Lib. IV, 14. ὑγρὰν ὄρχησιν ab molli agilique crurum motu dictam putat. Adprime vero huc facit Xenophon, qui, de re equestri disputans p. 337. ἱππεύοντα ὑγρὰ ἔξειν τὰ σκέλη animadvertit. Quid vero similius nostro loco, quam aliud XENOPHONTIS. Τὰ σκέλη ὑγρὰ μετεωρίζει, *crura flexibilia attollit?* Haec attuli ideo, quod Erasmus Schmidius obscuritatis reum facit scholiasten, ac non videt, quomodo ille velit intellectam interpretationem: αἰωρεῖται, τὸν νῶτον ἐπὶ θατέρα ἐπῶν, attollit, tergum in alterum partem vertens. Nescit igitur, quomodo id possit aquila, vt propterea dicatur tergum ὑγρὸν. Papae! Quasi vellet poeta aquilam inter cantum lyrae schoenobaticum fecisse, sine in tergo se reposuisse, vt stat mimus in capite. Cur aquila, quae sedens dormit super sceptro, sono lyrae iaculis agitata, nequeat se erigere, ac partes corporis posticas auertere a lyrae cantu, ne chordarum sonos amplius a tergo sentiat, sed a capite? Ferrem propriam significationem humidi, tergum si nebula, non delectatione, habeatur perfusum. Tropice laeue etiam potest tergum intelligi.

vbi malos poetas sub coruorum imagine ponit iuxta bonum, quem sub aquila intelligit. y) Accurate, vti solet, etiam in hoc capite picturam et poesin eumdem ornatum quaerere, docuit HAGEDORNIVS in iis, quos de pictura scripsit, commentariis. z) Addit ibi vir de artibus elegantioribus optime meritus, ad generis discrepantiam dissimilitudinem formarum, aetatis, morum, status et alia, quae picturam ornant dissensu quasi consentiente. Quae si ad carmina referantur, gradus vmbrarum varios habebimus. Nostrum vero iam non est, omnes persequi species, quas discere potes ex ARISTOTELE, a) SCALIGERO, b) VOSSIO. c)

§. 19.

Oxymori vmbra.

Hactenus de vmbris oppositorum, quae ad schema διανοίας pertinent. Venio nunc ad ea, quae ab aliis schemate λέξεως comprehenduntur, vbi verba verbis sunt contraria, siue, ne SCALIGERVM offendamus, antitheta dictionis non sine ratione aegre ferentem, d) vbi imagines, sibi oppositae, verbis contrariis breuiter reddun-

 duntur.

y) Ολυμπ. β.
z) Lib. II. Sect. II. §. 8. sequ.
a) ARIST. Topic. II, 6, 7, 8. VII, 1. Metaph. IV, 10.
b) IVL. CAES. SCALIG. Poet. IV, 37.
c) Instit. Orat. II, v. 11, 12.
d) l. c.

duntur. Optime quidem miſceri poſſunt imaginum lucidarum picturis, vt vel vmbram condenſent, vel nouas vmbras efficiant, quae minus ſentiantur vti ex illo, quem adſcripſimus, PINDARI loco cernimus: ſed etiam non male ponuntur nuda, vti fit ab HORATIO, e) durum qui Hannibalem mollibus citharae modis adiungit. Poeni durities nota erat Romanis adeo, vt contexta carminis ſeries tantum detrimenti, omiſſo epitheto, non caperet, quantum ornamenti ad ſententiam accedit, dum exprimitur. Omitto varias oppoſitorum ſpecies, quae numerantur a Grammaticis, ac praeter ἀντιμετάθεσιν, ἀντιμεταβολὴν, ἀντιστροφὴν, συνοικείωσιν, quamuis ad vmbras referri poſſint, vel vnum tango oxymoron, quod a SCALIGERO in enumeratione figurarum, ex contrariorum poſitione ortarum, miror praetermiſſum. Certe illud e reliquis vmbram oculis reddit maxime conſpicuam, vt facillime ſentiatur adſpectu, atque a luce diſtinguatur. *Oxymoron* vi originis graecae coniungit acuta et fatua. Nempe acute dicitur, quod fatue prolatum videtur, ſiue attributa rei adiunguntur, quae, primo quidem intuitu, eius indoli repugnant, ſed nihil, niſi ſpeciem pugnae, habent. Etenim, facta comparatione, elegantius dicta putamus, quae abſurdum olebant. Ornatum ſententiis inducunt eo politiorem, quia prius contemplantes, poſterius non expectabamus. Sciunt plerique omnes,

e) Carm. II, 12.

omnes, non ab inopinato ſolum ſuauiter moueri animos, ſed etiam delectari, ſi qua praeter opinionem oculis obiiciantur. Conſidera picturas, quas de ducibus fortiſſimis, e militia redeuntibus, poetae propalam collocant. Quos enim puluere bellico conſperſos delineant, ac nihilo tamen minus etiam laudant formoſos. Nonne miles ſordidus alius eſt, ac formoſus? nonne puluis occultat decus? nonne a TIRESIA apud PINDARVM *f*) coma gigantum ſpecioſa, puluere inquinata, pro ſigno deformitatis habetur, et labem ignominiamque infert gigantibus victis, de quibus canit:

Φαιδίμαν
Γαίᾳ πεφύρσεθαι κόμαν;

Nonne ipſe VENVSINVS *g*) Maeoniden puluere Troico nigrum pinxerat? Sed tamen ſibi bene reſpondent diſparia, ac melius, quam

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit.

Mirare, quanto ſibi ſint ornamento ideae contrariae in carmine HORATIANO: *h*)

Audire magnos iam videor duces,
Non indecoro puluere ſordidos.

Vide, quantum formae accedat ad Domitianum,

 e bel-

f) Nem. I. ſub fin.
g) Carm. I, 6.
h) Carm. II, 1.

e bello Sarmatico redeuntem, ex puluere bellico, apud MARTIALEM [i])

Hic ſtetit Arctoi formoſus puluere belli,
Purpureum fundens Caeſar ab ore iubar.

Plures ſi velis imagunculas, quibus duces, puluere ornati, delineantur, lege I. CASPERII GEVARTII *lectiones Papinianas*, vbi formae mixtae, in belli ducibus laudatae, exempla habes innumera. [k]) Alphaeus Mitylenaeus eleganter pingit delectationem, quam e trito ſermone prouerbio: *Ne quid nimis*, ceperat, oxymoro: [l])

Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει,
Nihil nimium me delectat,

cui ſimile eſt illud, quod ad *Euripidis* Hippolytum attulit BARNESIVS: [m])

Τὸ γὰρ μηδὲν ἄγαν ἄγαν φιλῶ.

Multa in PLAVTO acute dicuntur, quae ſpeciem acuminis non habent, egregia vero ſunt, vti eius eſt de odore mulieris iudicium:

Mulier recte olet, vbi nihil olet. [n])

Quam ſententiam ſimili oxymoro auxit TRILLERVS, cuius copia eruditionis opulenta laudibus

i) VIII, 65.
k) Cap. VI.
l) Anthol. I, 12, 2.
m) Barneſ. ad. Eurip. Hippolytum v. 264.
n) Moſtellaria Act. I, Sc. 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0090
DFG

dibus noſtris maior eſt. o) Neque, vt ſilentio praeteream elegantem AESCHYLI locum, mihi temperare poſſum, qui ad antecedentia etiam pertinet. Chorus in Prometheo vincto non ſolum iucunditatem, ex vita hilari oriundam, nitide obumbrat Promethei vita miſera, ſed etiam oxymoro: χάρις ἀχαρις, *ingrata gratia*, opacum magis diſpenſat. p) Idem poeta duplicat interdum vmbram, quod factum eſt in eadem tragoedia duabus imaginibus, quas vmbra ſequitur: q)

Απόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος, ἄπορα
Πόριμος· ἀδ' ἔχω, τίς ἄν γενοίμαν.

Non eſt enim bellum bellum, intricatio inextricabilis: nec ſcio, qualis ſorem.

Apertiſſime totum diſcrimen, quod intereſt, vmbra ſi condenſetur oxymoro, ſique pluribus verbis extendatur, ducet ante oculos ſententiarum biga, quae ſunt eiuſdem argumenti. Apud SOPHOCLEM r) *Aiax*, ſe ipſe interemturus gladio, quem ab Hectore acceperat,

o) in Diſſ. de morte ſubita, ex nimio violarum odore oborta, excitat Martialem II, 12.
Non bene olet, qui male ſemper olet.
p) Prometh. vinct. 548, 549.
q) v. 903, 904. Quae lectio quia eſt dubia, confer Animaduerſiones Abbreſchii in Aeſchylum L. I. C. IX. p. 55. ſeqq.
r) v. 674. conf. HOERIVS, quem, quia praeceptor fuit noſter, non niſi honoris cauſſa nomino, in adnot. ad Sophocl. Ai. a ſe edit. p. 192.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0091
DFG

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα,

dona inimicorum non esse dona, iudicat. En duobus vocabulis ornatum eximium! Quam distincte, quam celeriter, ferit oculos lumen sententiae, adiumento vmbrae proximae ardentius! Eiusdem tenoris versus est apud EVRIPIDEM, quem HOERIVS excitat ad illustrandum locum Sophocleum ex MEDEA:

Κακὸς γὰρ ἀνὴρ δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει.

Mali enim viri dona fructum non habent.

Habes eamdem sententiam, habes idem argumentum, habet etiam argumentum maiorem fere claritatem. Sed quis est, qui principatum det Euripideis coloribus? cui non melius placeat dictio Sophoclea, et illa OPPIANI,[s]) de pisce, qui piscatoris cibo adpenso decipitur, canentis:

Δῶρα λαβὼν δύσδωρα μετέδραμεν,
Dona accipiens infelicia recurrit.

Hic non solum res oppositae sunt iuxta se positae, sed etiam verba sibi videntur bellum inferre quasi ciuile, et tamen amice sibi respondent. Quantum vero pigmenti praecipui illa carmini arcessunt, tantum vitii et nimius vsus eorum, et falsus, generat, si praecipuam ponamus virtutem

s) ἁλιευτ. V. 303. Plura si velis oxymora, lege RITTERSHVSIVM ad *Oppiani Cyneg.* Lib. I, v. 260. et TAVBMANNI Animaduersiones ad *Virgilii Culicem* p. 145. Miscuit etiam VOSSIVS exempla poetica Institut. Orat. P. II. Lib. V. c. 7.

tutem in argutiis sententiarum. *Fallit enim specie virtutis et vmbra vitium.* t) Namque si poeta velit opponere sibi imagines, quae diuersae non sunt, aut longius arcessuntur, vt magis ab ingenio scribentis, quam ab ipsa rei conditione ac natura, oriatur pugna, incurrit in reprehensionem PERSII, u) notantis PEDIVM, capitis causam dicentis,

qui crimina rasis
Librat in antithetis.

Putat enim, translata ab eborariis statuariisque voce, ea, quae nimia arte poliantur, non ornare, sed terere corpora. Nemo facile fert illud PLAVTI aut elegans dictum cupit: x) *Quos homini dii sunt propitii, ei non esse iratos puto:* vel illud in *Captiuis*, vbi prologus: *Hos quos videtis stare captiuos duos, hi stant, non sedent.* In vtroque loco vmbrae tam parum sentis, quam lucis, multum vero insulsi. Risit crebrum antithetorum vsum etiam in *Agathone* PLATO, vt ait ATHENAEVS, y) de quo AELIANVS z) perhibet, voluisse quemdam, velut ipsum emendaturum, ex tabulis eius illa tollere. Sed respondit poeta: *Tu vero, bone vir, non sentis hoc modo te tollere* AGATHONEM *ex* AGATHONE.

 Neque

t) IVVENAL. Sat. XIV, 10.
u) PERSIVS Sat. I, 85. coll. CASAVBON. ad h. l. p. 76.
x) Curcul Act. V. Sc. 4.
y) V, 2.
z) XIV, 13.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0093
DFG

Neque operae pretium est, vt repetam versum LVCANI satis ab eruditis explosum, vbi CATONI quaerit lumen ab vmbra deorum:

Victrix causſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

Ponderanda est relatio contrariorum accurate, ne dissimilitudine imaginum nimis remota incidat poeta in vitium, quod BOELAVIVS [a]) animadvertit in arte poetica:

L'autre a peur de ramper, il ſe perd dans la nue,
Ingreditur que ſolo et caput inter nubila condit.

Sed fac, antitheta esse apta et concinna, neque vllam reprehensionis notam incurrere, tamen eorum vsus non est ingenii libidine, sed eius, quod decet, iudicio metiendus. Quis nescit, ornamentorum etiam habendum esse modum, quia profusa fastidium sui et odium facile excitant? Carmen igitur immoderatius exornatum coloribus, sibi contrariis, videtur comparandum cum varia veste personae ludicrae, quae populo est spectaculo. Certe minus veniae impetrabit apud aequos iudices, quam ab omni si vacuum sit ornatu; vti vmbrae absentia in tabula picta non adeo vituperatur ab artifice, (imo ab illa regina Britanniae in sua effigie imperatur,) [b]) ac si vmbra

a) BOILEAU. Chant. I, 68.

b) Elisabeth venusta pingi volebat supra modum, vt etiam vmbram in vultu suo a pictore misceri prohiberet. WINCKELM. *Geſchichte der Kunſt* p. 180. cf. *Walpole's Catalogue of the noble authors* p. 175.

bra vbique pari sit effusa crassitudine sine vlla varietate. Non igitur accusantur iniuria MARTIALIS et CLAVDIANVS, qui, nimium ingenio indulgentes, sobrium carminis iudicium negligerent, atque in primis fucum facerent poematibus, antithetis cumulatis.

§. 20.

Vmbra ambigui.

Magis ad vmbram, quam ad obscuritatem, refero ambiguum dicendi genus, si iudicio non careat lusus ille ingenii. Poetae saepe vtuntur vocibus, quae diuersas habent significationes, quarum vtraque rei, quae debet exprimi, potest esse consentanea. Duplex oritur idea. Altera redit e proprio vocis vsu, altera tangit occultum. Proprius sensus nos decipit, et sensus, quasi falsus, excipit locum veri. c) Quum poeta sententiam veram non semper nude proferre possit, tempori seruiens, aut, si possit, non velit palam expedire, eiusmodi verba eligit, quorum notiones trahantur in diuersum. Interdum igitur anceps rerum conditio eum cogit, vt aliud in ore, aliud in pectore, habeat, saepius

c) Bouhours Art in wizigen Schriften wohl zu dencken, p. 25. *Die Wahrheit ist daselbst mit dem Falschen verbunden, und das merckwürdigste dabey ist, daß das Falsche zu dem Wahren leitet. Denn man gelanget durch den eigentlichen Verstand, welches der falsche Verstand der Zweydeutigkeit ist, zu dem figurlichen, welches der wahre ist.*

us vero congerit in carmen ornamentum concinna ambiguitate vocum, quae sunt ad res, a proprio vsu diuersas, adcommodatae. Sequitur fontem iocorum facetiarumque vberrimum, e quo plurima delectatio ad vitae quoque consuetudinem dimanat. Vmbram vero nomino, quia vera sententia est occultata sub falsa, neque elucet tanta perspicuitate, quanta verbis propriis effertur. SERVILIVS GEMINVS, quum forte apud L. MALLIVM, qui pictor optimus Romae habebatur, coenaret, filios artificis deformes viderat. *Non similiter*, inquit, *Malli, fingis et pingis.* Cui MALLIVS argute: *In tenebris enim fingo, luce pingo,* [d]) Talium ampla seges est in comoediis et in epigrammatis. Sed non raro luditur absurde. Egregia vmbra locum habet in epigrammate M. FVRII BIBACVLI in Valerium Catonem, grammaticum, qui, pressus aere alieno, nomen, in tabulis haerens, redimere non poterat: [e]))

Mirati sumus optimum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes soluere posse quaestiones;
Vnum difficile, expedire nomen.

Laudatur etiam MARTIALIS, in re seria venuste ludens ancipiti vocis notione, quum ex omni-

d) MACROBIVS Saturn. II, 2. vbi plura in sequentibus etiam capitibus ambigue iocoseque dicta deprehendes.

e) SVETON. de illustr. Grammat. in Cat.

omnibus terrae regionibus venirent gentes ad spectacula DOMITIANI: *f*)

Vox diuersa sonat, populorum est vox tamen vna,
Cum verus patriae diceris esse pater.

Caue autem, ingenium careat iudicii sobrietate, quando carmen ambiguo non caret. Facilius offenduntur animi delicati, quam recreantur, si vel inuita Minerua sit efficta ambiguitas, vel ab ea parum elegantiae carmini adportetur. Saepius specie boni fallimur, remque callide et argute significatam putamus, quae redolet adfectationem, aut nullius sensus est, certe ab oracului delphico debet explicari, si vera sit intelligentia indaganda. Vmbram dum spargere videntur, offundunt tenebras, nubemque captant pro Iunone. Sunt etiam, qui, similes EPICHARMO, nihil, nisi risum, velint excitare, ludant vbique verbis, seque ipsi risui dent prudentibus καχόζηλοι. Sed inter poetas numerandi non sunt, qui nihil agunt, nisi nugas. Abeant, vulgi auram captatum, resque suas scurriles sibi habeant. Odi profanum vulgus. Nimis saepe probi poetae hic offendunt, quando ingenium praecurrit iudicium. Sunt enim vmbrae, quam captat ambiguum, limites scripti satis angusti. Ferimus ambiguum in comico, in satyra, in epigrammate, in cantiuncula, pellimus ex consuetudine seriorum, eiicimus e tragoedia, exturbamus ex epico carmine, interdicimus sacris. Merito vituperatum legi magnum

f) MART. *Spectac.* 3.

gnum MILTONI nomen, qui facetus et iocosus fuerat, vbi grauis et seuerus esse debebat. Deprehendit eum, qui multos deprehendit in deuiis itineribus, poeta alius in quadam orationis ambiguitate, neque iniuste in eum animaduertit in epistolis Homericis. g) Varios scopulos, ad quos saepe incidunt, qui flexiloquas dictiones amant, monstrat, vt index, FABIVS h) oratori, cuius cursum sequutus poeta non mergitur.

§. 21.

Vmbra aenigmatica.

Simillima sunt ambiguo sermoni aenigmata, quae per allegorias (istam vocem si late accipias) rem notam tegunt ambagibus obscuris. Neutiquam illa tenebras inducunt carmini, sed vmbram, quae aliquem parit ornatum, apud oratores etiam, vti CAECILII exemplo videmus apud QVINCTILIANVM, i) licet CICERO repugnare videatur. Distinguunt grammatici inter aenigmata et griphos. Illa voluerunt ridicula et iocosa, hos vero eruditionis habitum gerentes. Longius vtroque genere non teneor, et quia coniunctissima est cum ambiguo affinitas, de quo plurima possunt ad hanc quaestionem

g) KLOTZIVS Epistola I, p. 35.
h) Instit. Orat. VII, 10.
i) Instit. Orat. VIII, 6. coll. Cic. de Orat. L. III.

nem transferri, et quia de aenigmate VOSSIVS [k]) et SCALIGER [l]) de gripho multis verbis praecipiunt, quos consulant ii, plura qui cupiunt. Sed quoniam in omni genere vmbrarum ornatarum exempla adduximus, prodeant pauca, quae ab VOSSIO afferri non memini. Est apud EVRIPIDEM [m]) in responso Apollinis, quod ab oraculo tulerat AEGEVS, qui daemonis alicuius inuidia sine liberis esse putabatur. Caussam vero, cur inanis sit eius opera in procreanda sobole, ex tripode dictam, poeta eleganter obumbrat et caste: [n])

Ασκῶ με τὸν πρόσχοντα μὴ λῦσαι πόδα,
Πρὶν ἂν πατρῴαν αὖθις ἑστίαν μόλω.

Vertit oraculum illud ANTONIVS MVRETVS:

Ne soluas ex vtre pedem, qui prominet, ante,
Cecropiae pingues quam sis delatus in agros.

Vtrem vocat deus ventrem ipsius AEGEI, ac tegit verecunde. Praecipit igitur illo verborum circuitu, vt se vxori castum seruet, atque, vti MVRETVS [o]) exponit, ad eam graues ac plenos probatae pecuniae loculos efferat. Videmus in conspectum venire ornatius dictum illud, aenigmatis vmbra tectum, quam nude si fuerit prolatum, nulla castitatis habita ratione.

k) VOSS. Inst. Orat. T. II, L. IV, 5. p. 202. sequ.
l) SCALIG. Institt. poet. Lib. III, 84. p. 351.
m) MEDA v. 679, 681.
n) *Var. lect.* III, 14.
o) l. c.

ne. Quod etiam nos in lucem non protrahimus, sed opaco, quem cepit, loco relinquimus, venientes ad aliam dictionem aenigmaticam, quae est apud AESCHYLVM. Nuntius caedem AEGISTHI, ab ORESTE, qui mortuus habebatur, patratam, narrat CLYTAEMNESTRAE p)

Τὸν ζῶντα κάινειν τοὺς τεθνηκότας λόγῳ.

Viuum interfecere mortui fama.

Solutum etiam aenigma esse ab regina, docet responsio:

Οἰ 'γὼ, ξυνῆκα τὔπος ἐξ αἰνιγμάτων.
Hei mihi! intellexi dictum ex aenigmatis.

Si velis obscuriorem griphum cernere, adi Palaemonem Virgilii, vbi pastores, relicto certamine, sibi proponunt aenigmata, quibus soluendis grammatici q) misere torquentur. Felicior est

p) CHOEPH. 886, 887.

q) D. *Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,*
Tres pateat caeli spatium non amplius vlnas.
M. *Dic, quibus in terris inscripti nomina regum*
Nascantur flores: et Phyllida solus habeto.

Lege SERVIVM et TAVBMANNVM ad *Eclog.* III. VIRG. et iudica, quam varie trahantur interpretum sententiae, quorum plurimi magis videntur esse *Daui*, quam *Oedipi*, quaestionem vexatissimam soluentes. Transeo, quae de *Caelii* sepulcro meditantur. Indignor vero eos, qui puteum intellectum velint, ac miror, eruditorum plerosque huic subscribere sententiae, quae pugnat apertissime cum verbis *Damoetae*. Quaerit

est imitator huius loci, POPIVS, qui duplex aenigma ad istius modum dedit in pastoritiis: r)

STREPHON: *Say, Daphnis, say in what glad soil appears*
A wond'rous Tree that Sacred Monarchs bears,
Tell

rit enim, quibus in *terris* caelum tres vlnas pateat? Si vero caelum incidit in puteum, non potest tres vlnas in terra patere, sed patet in aqua. Posterius aenigma facilius soluitur, ac puella pretium est, haud numen. Sed prius, quod Apollinis honores proponit, intelligere videtur FABIVS DEVOTVS, qui paucis abhinc annis Romae scripsit commentarium in hoc aenigma: *De caeli spatio in terris quibusdam tres non amplius vlnas patente.* Per tholum Panthei, quae Italis *Cupola* est, caeli spatium prospici existimat tres tantum vlnas, si quis introiuerit. Mallem, ingeniosum virum de quauis tholo aedificii suae gentis id intellexisse, quod cum pastoris notitia melius conueniret, tametsi necesse non sit, vt cogitemus, pastorem id aenigma ipsum inuenire debuisse. Poterat enim ille, vti mos erat, griphos, ab aliis excogitatos, enarrare. Alias ne alterum quidem pastoris ingenio respondere, quippe qui haud nouerit plura de regibus Graecorum, ac de fastigiatis tectis, quae videre poterat quouis die in ea vrbe, cui caseos premebat. Quomodocumque vero se res habet, potius mihi gratulandum ducerem, si posteriorem nodum soluissem. Malo enim Phyllida solus habere, quam magnum esse nihil.

r) Spring, the First Pastoral of ALEX. POPE T. I, v. 85-92.

Tell me but this, and I'll disclaim the prize
And give the conquest to thy Sylvia's eyes.

DAPHNIS: *Nay tell me first, in what more happy fields*
The thistle springs, to which the Lily yields:
And then a noble prize I will resign;
For Sylvia, charming Sylvia, shall be thine.

STREPHON: *Dic, Daphnis, dic, in quo laeto solo conspiciatur*
Mirabilis arbor, quae sanctos monarchas ferat:
Narra mihi vero illud, ac renunciabo pretio,
Ac dabo victoriam tuae Sylviae oculis.

DAPHNIS: *Minime, narra mihi prius, in quibus beatioribus campis*
Carduus succrescat, cui lilium concedit.
Ac tam nobile pretium remittam,
Nam Syluia, venusta Syluia, erit tua.

In priore aenigmate intelligit poeta quercum, quam CAROLVS II. adscendebat, fuga salutem quaerens, male gestis rebus in praelio ad Vigorniam. Posterius aenigma notat symbola Scotiae Franciaeque regum. Scotorum enim insigne carduus est, Francorum lilium. Pulchra sunt ea in ore pastoris, qui verbis ludit libenter, pulchra etiam in epigrammate, cuius generis sunt apud ATHENAEVM, QVINCTILIANVM, COEL. SYMPOSIVM, IVL. CAES. SCALIGERVM, HADRIANVM IVNIVM, CASPAREM

REM BARLAEVM, alios. s) Neque omnia delectant, sed, vt praedicat ARISTOTELES, t) τὰ εὖ ἠινιγμένα ἡδέα. Perit decus eorum, quibus vate opus est, non lectore, in quibus soluendis, vel magnum illius Graeci occupatur ingenium, u)

Ὃς τὰ κλεὶν' αἰνίγματ' ἔγνω,
Qui soluit inclyta aenigmata.

§. 22.
Vmbra paradoxi.

Sed mittimus Sphingem, male habentem eos, qui problemata non dissoluunt, accedimus ad vmbram minus periculosam, ad paradoxon, siue ἀπροσδόκητον, quod sententiam varie ornat, dum non solum prodeunt minus exspectata, sed etiam praeoccupant lectoris animum, vt suspensus teneatur, et quasi in obscuro loco versetur ante, quam lumen sententiae accendatur. Vmbra igitur spargitur, vt veri dissimilia videantur ad tempus, quae, propius considerata eorum veritate, mouent admirationem. Quo maius est incertum, in quo res ponitur, eo maior est vmbra, eoque elegantior tota redit sententia. Habes exemplum in epigrammate graeco, vbi laudes puellae, ingenio, gratia et venustate florentis, ab antecedentibus, quae inaudita erant,

s) VOSSIVS aenigmatum textores enumerat l. c.
t) Rhet. III, 11.
u) De OEDIPO EVRIP. PHOENISS. v. 1747.

et numerum certum offendebant, quasi ab vmbra sunt ornatiores:

Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφίαι δύο καὶ δέκα Μοῦσαι·
Δέρκυλις ἐν πάσαις Μοῦσα, Χάρις, Παφίη. x)
Quatuor Gratiae, Veneres duae, decemque Musae
Derkylis in omnibus, Musa, Gratia, Paphia.

Interdum praeponitur locus lucidus, vmbrosus sequitur, aut quasi post principia vmbra posita est in insidiis, vnde sociae imagini succurrat, vti est apud MARTIALEM, y) qui laudis speciem praemittit, atque excusare videtur GALLAM, quod non lugeat palam viri mortem, sed mutatur color, cum sequentibus comparatus. Inopinata ea sunt:

In tenebris luges amissum, Galla, maritum:
Num plorare pudet, te, puto, Galla, virum?

Rem forte Galla habuerat, viuo marito, cum aliis, atque ideo nolebat lugere obitum illius palam, vel metuebat, se, vtpote infamem, mortuo marito, non iri ductum ab alio. Hinc illae lacrymae! Coniunguntur etiam inopinata, vt e duplici vmbra lumen pulchrius repercutiatur. Melior splendet laus Phidiae, qui Iouem Olympicum ad imaginem Homericam posuerat

x) Praeter hoc distichon aliud paradoxon vide apud Gallum, cui nomen BOUHOURS l. c. p. 267.
y) IV, 58. coll. ad h. l. VINCENT. COLLESS. in notis.

rat in ſtatua, dum incredibilia duplicantur a ſpectatore, quaerente ex PHIDIA: z)

Ἦ Θεὸς ἦλθ' ἐπὶ γῆν ἐξ ἐρανῦ εἰκόνα δείξων,
Φειδία, ἢ σύγ' ἔβης τὸν Θεὸν ἀφόμενος;

Deusne venit in terram e caelo imaginem monſtrans?
Phidia! an tu adſcendiſti Deum intuitus?

§. 23.

Vmbra in Adluſione.

Multum gratiae ad carmen accedit, dum ritus, formulae, fabulaeque veterum breuiter attinguntur, aliisque rebus occulte adplicantur, Adluſionem vocamus, vbi de binis cogitationibus, inter ſe iunctis, alteram praeſentem, exponimus luci, alteram, qua vſi ſunt ante nos alii, tegimus vmbra. Sed emicat idea, in opaco relicta, vt lector facile videat, ſpectaſſe nos inter meditandum vtrumque. Sic viuida redduntur, atque opulenta, quae, ſuae relicta luci, exilia ſunt. Etenim comparatio ſententiarum, ab ingenio facta, nouam excitat elegantiam. Nouimus ex BRISSONIO, a) obuios, ſibi ignotos, ſe inuicem compellaſſe formula: QVISQVIS ES. Scite verba illa adplicantur ab OVIDIO b) ad Mercuri-

z) Anthol. IV, 6. conf. KLOTZIVS ep. Hom. p. 101.

a) *De formulis ſollemnibus* Lib. VIII.

b) *Metamorph.* I, 679. Eamdem adluſionem habes libro II, 601. III, 613. VII, 864.

curium, habitu pastoris venientem ad Argum, vbi custos oculatus:

Quisquis es, hoc poteras mecum considere saxo.

Mutatis verbis veteres interdum quaerebant ex aduena, sicut AGORASTOCLES Plautinus: [c])

Qui sit, cuiatis, vnde sit.

Inde similem forte interrogationem iri ad elegos directum, Romam venientes, elegantissime fingit idem NASO: [d])

Si quis, vt in populo, qui sitis? et unde? requiret:
Nomina decepta quaelibet aure ferat.

Placet etiam *Phormio* Terentianus ad Chremetem attonitum voluens sollemnem illam formulam, qua in funeribus indictiuis, quippe quae per praeconem euocabantur, veteres vsi sunt: EXSEQVIAS. IRE. QVOI. COMMODVM. EST. IAM. TEMPVS. EST. OLLVS. EFFERTVR. Sic *Phormio* de sene viuo: [e])

Exsequias ire Chremeti, quibus est commodum,
iam tempus est.

Nonnumquam alter alterius poetae carmen tangit,

c) *Poenul.* Act. V. Sc. 2.

d) *de Ponto* IV, ep. 5, 11. Huc etiam pertinet illud Priami, Sinonem recipientis; VIRGIL. Aen. II, 148. Ad quem locum SERVIVS EX LIVIO probat, huc adcommodata esse verba sollemnia imperatoris, transfugam in fidem recipientis.

e) TERENT. *Phormio* V, 8, 37. cf. VARRO de lingua lat. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0106
DFG

tangit, quod factum est ab OVIDIO, *f*) qui respicit ad frontem *Aeneidos Virgilianae*:

Et tamen ille, tuae felix Aeneidos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumque *toros.*

Quantum vero venustatis saepe reddunt adlusiones eruditis, qui, dicta quo pertineant, sciunt: tantum vitii alunt, si vel obscuriores fabulae attingantur, vel alia, minus nota, vel quae nullam habeant cum argumento similitudinem. Accidit enim haud raro, vt, si longe repetantur vmbrae, aut lector si nesciat, quid in mente habuerit scriptor, tunc, inquam, accidit, vt non solum venustas sententiae pereat, sed toti etiam loco tenebrae offundantur quasi Cimmeriae, vti saepe factum est a PERSIO, cuius prima verba merito notantur. *g*)

§. 24.

Vmbra ex dubitatione.

Cernimus vmbram quoque a poetis captari ex dubitatione. Qui enim dum simulant, se nescire, vtrum expediant rem, an praeterire malint, augent animum lectoris curiosum, atque in eo maiorem incendunt rei videndae cupiditatem. Interim res haeret in vmbra. Diuinatur rei grauitas, cernitur aliquid, nihil tamen cernitur, nisi vmbra. Iam sola pingitur animi

 haesi-

f) Trist. II, 534.
g) Sat. I, 2. seq.

haesitatio, vti factum est ab OVIDIO ad amicum instabilem: [h])

Conquerar, an taceam? ponam sine nomine crimen?

Iam subiicitur dubitatio, interpositione facta, qua remota, sermo quidem manet integer, locus tamen attentionis inducitur, qualis est titubatio in animo *Aeneae*, *Polydori* prodigiis territo: *Eloquar, an fileam?* [i])

§. 25.

Vmbra in praecisa dictione.

Eloquar, an fileam? Liceat paucis tangere vel vnum lucis, per vmbram temperandae, modum, vbi nihil dicendo poetae faciunt, vt multa intelligantur. In quo comparandi sunt cum TIMANTHE, pictore, cuius in operibus intelligebatur plus saepius, quam pictum erat. [k]) Sunt, teste SENECA, [l]) quae sensus praecidant, et hinc gratiam sperent, si sententia pependerit, et audienti suspicionem sui fecerit. Supprimuntur igitur, quae poterant plena luce effulgere. Neque illa colorum parsimonia semper ab ipsa re suadetur, quippe cui saepe largiter induci possunt pigmenta. Sed magis quandoque placet, si desint, quae adesse poterant.

Tarda

h) ex Ponto IV, 3, 1.
i) VIRGIL. Aen. III, 39. cf. TAVBMANN. ad h. l.
k) PLIN. Hist. Nat. XXXV, 10.
l) *Ep.* 114.

Tarda enim adeo non sunt ad intelligendum ingenia humana, vt ne multas res, vel sola coniectura, adsequantur. Imo gratissimum iis saepe facimus, si viribus quorumdam aliquantum confidamus, rem non ipsam, sed eius vmbram obiicientes, qua reliquum metiantur coniectando. Itaque rumpitur oratio, ac silentio praetermittuntur elegantius, quae facile diuinentur. Neque ἀποσιώπησις illa limitibus circumscribitur adeo angustis, vt nusquam locum habeat, nisi in picturis animi perturbati. Certe mittit illa colorum moderatio tantum ornamenti in ea loca, quae mentis commotae vestigia non tenent, quam in ea, quae mentem, vehementissime adfectam, ponunt ante oculos. Sunt enim multa iam satis nota, atque etiam incerta, vt reticeri facile queant, vnica voce adlata, quae rupti fili inferat suspicionem. Taceo, insignem saepe nasci grauitatem augerique sententiarum pondus, quae desinunt praeter opinionem, vti est in tragoedia CORNELII gallica locus, qui aliquo modo potest ad nostram quaestionem referri. Pater enim Horatiorum, simulata filii superstitis fuga offensus, quum interrogaretur ab Iulia, quid putaret, filio aduersus tres hostes faciendum fuisse? respondet breuissime: m) *Mori debebat.* Plenus quidem grauissimae responsioni sensus inest, sed praecisa

m) *Qu'il mourût* CORNEILLE, HORACE Act. III. Sc. 6. cf. MEIER in *Aesthet.* T. I. p. 154.

cisa tamen sunt, quae pluribus verbis dilatari poterant, atque in vmbra deliteſcunt. Sic *Neptuni* oratio abrupta apud VIRGILIVM n) deum quidem teſtatur, ira efferueſcentem, atque ab irae natura, quae loquitur abrupte, videtur poſtulari, tamen maxime etiam ornat illam picturam. Poterant enim pluribus repeti, vti ab iratis fieri ſolet, comminationes, ſaepiusque intendi. Sed minus conſulebatur, et nauigantibus, qui mare cupiebant ſedatum, et ornatui, ſi nimis longa fuiſſet dei declamatio, ornatius duobus verbis abſoluta: *Quos ego!* — Praecipuam vim eiusmodi vmbrae in comminationibus ſentimus. Namque variae imagines, quae luce carent, in vmbraculis, tamquam in tenebris laruae, conſpiciuntur terribiliores. Accedit, vt magnus atque imperterritus animus minantis appareat dilucidius atque magis eos percellat, quibuscum agitur. Lacedaemonii, durum genus hominum, id ſequuti ſunt, quum ad Philippum ſcripſerunt: Lacedaemonii Philippo. *Dionyſius Corinthi.* En denſam vmbram, quae acrem atque animoſam Spartam atque vna tyrannidem Syracuſani miſere punitam exhibet in obſcuro. Hoc melius, quam ſi vitam eius infelicem IVSTINI o) luce illuſtraſſent hunc in modum: Dionyſius, quum, vt tu, Philippe, grauior crudeliorque in dies ciuitati eſſet, iterata conſpiratione obſeſſus, depoſito imperio arcem Syracu-

n) Aeneid. I, 139.
o) Lib. XXI, c. 5,

Syracusanis cum exercitu tradidit et Corinthum in exilium profectus est. Ibi vero ille ad sordidissimum vitae genus descendere, in macello perstare, quod emere non poterat, oculis deuorare, apud aediles aduersus lenones iurgari, ludimagistrum se profiteri, pueros in triuio docere, omniaque ista facere, vt contemnendus magis, quam metuendus, videretur. Vide igitur, ne, dum eius crudelitatem imitaris, eiusdem etiam malis afficiare, et quae sunt reliqua. Melius Lacedaemonii dederant parca, quod satis est, manu. Quam autem primo loco nominare debuissem, est comminatio senis apud TERENTIVM, vbi relinquitur in vmbra vltio, de seruo petenda. LACHES enim ad PARMENONEM: p) *Ego te, furcifer! Si viuo* — Quisque praeuidet colores omissos, quisque facile opinatur, nolle herum blandiri furcifero, sed in pistrinum mittere, siue ad malam rem. HORATIVS vero quietior inter pocula quaerens ex compotatore amicam, occultat auditum nomen, quod scire nihil interest nostra. Interrumpit sensum atque in sequentibus versibus prospicit obscuritati per vmbram, quae leuem meritricis notam continet. q) Vitiosum PERSII r) locum, qui, dum breuis esse laborat, fit obscurus, adscriberem, si deberet legi, qui non vult intelligi. Plura exempla suppeditauit PLVTARCHVS in apo-

p) Eunuch. V, 6, 19, 20.
q) Carm. I, 27, 18.
r) Sat. I, 8.

apophthegmatis. Ex his facile coniicitur, proxima cognatione cum his vmbris coniunctam esse ellipsin cuius innumera exempla e poetis adtulit ad LAMBERTVM SCHWEBELIVS.

§. 26.

Nonnullae reliquarum vmbrarum species attinguntur.

Supersunt alii modi, quibus vmbrae carminibus admisceantur, atque inter eos referri potest *praeteritio*, siue priuatio colorum, qui, si vellemus, possent adfundi. Id vero quo minus faciamus, multae caussae prohibent, quas supra in legibus vmbrarum prolixe descripsimus. In primis id prudens luminis parsimonia exigere videtur, ne fiamus prodigi, dum esse volumus liberales. Debet in diuite etiam vena esse aliqua moderatio opum, quod pauperis est, omnes, quos in sacculo habet, numos promere. Accidit, vt argumenta nonnulla condensanda sint, quo se inuicem sustineant ac singula singulis roborentur. Quantum igitur multitudo amplior oneraret ac dilataret carmen, si velles omne, quidquid inest rebus, expingere adeo, plena vt luce conspiceretur! Vi argumenti omnium firmissimi dilucide exposita, reliqua nude ponuntur ac praetereundo minus illustrantur. Maxime ea, quae leuiora sunt, praeteritione opacanda sunt, ne tractandi studio ac lumine colorum imbecillitas rei efferatur. Venus igitur, filii res aduersas parenti

in

in deorum concilio reuocans in memoriam, confertas eas ponit, seque praeterire omnino quasdam velle simulat:

Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum regem? ventosque furentes
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim? s)

Tempus non permittebat, vt dea hosce labores constitueret ante oculos tam dilucide, quam poetae id fecerant in carminibus. Sed tamen ad mouendum Iouem videbantur illae imagines idoneae. Itaque luce temperata eas exhibet, siquidem Iouem, qui videt omnia, veram cuiusque laboris magnitudinem vel in tenebris cogniturum, sibi persuaderet. Neque praetereundum est illud OVIDII artificium, quo multa exempla breuissime tangit atque in tenui luce offert conspectui, scilicet, vbi veterum tragoedias enumerat, quae amorem continent. Primum quidem poeta argumenta quarumdam fabularum clarius tractat, quod fit in *Hippolyto*, *Canace*, *Oenomao*, *Medea*, *Tereo*, caeteris: sed, quum sentit, numerum augeri nimium quantum, ac fabulas leuiores intexi, praetereundo summam earum, nihil, nisi nomina nuda, inserit: t)

Quid loquar Hermionen? quid te, Schoeneia virgo?
Teque Mycenaeo Phoebus amata duci?

Quid

s) VIRGIL. Aen. X, 36 seq.
t) OVID. II., *Trist.* 399.

Quid Danaen Danaesque nurum matremque Lyaei?
Haemonaque et noctes cui coiere duae?
Quid generum Peliae? quid Theſea? quidue Pelasgum,
Iliaca tetigit qui rate primus humum?

Vide ex his, quam praeteritionis ſpeciem intelligam, vmbraculis conſtituendis vtilem, ſcilicet eam, quae minus effert, quam res obiecta permittat. Alia ſpecies plus luminis adſpergit eſtque oratoribus propria. Namque hi, etſi minus ſe dicturos aiunt, quam in re eſt, plus tamen dicunt, quam ſe dicturos ſimulant. Per eam igitur ſpeciem praeteritionis, quae ad lucidos colores pertinet, vehementius illuſtratur argumentum, non, tamquam per illam, obumbratur, id quod egregiis docet VOSSIVS [z]) exemplis, CICERONIS orationibus vndique collatis. Quae huius non ſunt loci. Sed hic iterum, *vt pictura, poeſis.* Vult illa membra argumenti ita diſpoſita, vt primariae partes lumen recipiant maius, quod ad partes ſecundarias in ſuaues vmbras defluat. Namque, vbi plurimae figurae in vna tabula componuntur, eamdem omnes vim habere nequeunt. Aliae quidem extant magis, minus aliae, ſi neque ad contextam hiſtoriae ſeriem propius aliquid conferant, neque anguſtiae ſpatii permittant, vt ſtatus omnium perfecte expingatur.

z) Inſtit. Orat. V, 6.

gatur. Itaque in multitudine hominum ii solum stant toto corpore conspicui, qui dominantur in actione, reliquos vero, qui minus sunt actionis participes, praeterit artifex, ne animum diuidant, atque vix caput et vultum adpingit, ad easdemque etiam partes lucem temperatam adfert, ne prae caeteris oculum lustrantis ad se rapiant. Sic in picturis, historiam Christi aliquam exhibentibus, optimus liberator eminet inter legatos, et inter hos Ioannes atque Petrus; reliqui vero, etiamsi adsunt, certe minus extant. Itaque in diuino opere, quod decus equitum atque artificum, ANTONIVS RAPHAEL MENGSIVS fecit, quodque templum Petrinum propter Tibrim inuidet arae propter Albim, in illa scilicet tabula, quae seruatoris adscendentis ad superos momentum exponit, in superficie infima, praeter matrem ac Magdalenam, Petrus ac Ioannes oculum diutius morantur, quam caeteri sodales, praeteritione felici negligentius aliquantum tractati, ac propter efficaciam totius languidiore vi luminis armati. Similiter alter ille naturae aemulus, OESERVM puta, in aulaeo theatri Lipsiensis praeteriisse videtur poetas recentiores hosque veterum imitatores, etiamsi conspiciantur, minus illustrasse, quos si cum SOPHOCLE, EVRIPIDE, AESCHYLO, ARISTOPHANE, MENANDRO, TERENTIO, PLAVTO, et e recentioribus cum SHAKESPEARIO, comparaueris. Equidem plerosque omnes doleo, quibus ipsis non licuit conspicere vtrumque ingenii et artis ornamentum

et

et admirari: sed iis plane succenseo, qui ne argumentum horum operum legant, quum prius sit multis verbis a CASANOVA, subtilissimo pictorum censore, posterius vero non solum in singulari commentario, sed etiam, vt illud, in Bibliotheca scientiarum elegantiorum tam perspicue descriptum, vt oculis illud ipsi tueri videantur. *)

Neque hoc loco praetereunda est *digressio*, siue *egressio*, vti FABIVS vocat, vmbra rei alienae, quae lucem propositio accendit fulgentiorem. Digreditur HORATIVS non raro ab argumento ad alia reditque ab aliis ad argumentum. Nonnunquam laxis habenis tam late euagatur, vt ne ad rem propositam quidem redeat. Id vero didicerat a PINDARO, qui eiusmodi vmbris victoribus suis lucem splendidam conciliare solet. Quam lucis et vmbrae commixturam alii etiam poetae imitati sunt feliciter, nec minorem exinde voluptatem carminibus confecere. Etiamsi bonus ille SIMONIDES propter hanc digrediendi licentiam modo tertiam partem mercedis, quam pro laude victoriae condixerat SCOPAS, accepit, propterea quod more poetis frequentissimo digressus in laudes CASTORIS et POLLVCIS exierat ac duas partes ab his petere iubebatur: vitam tamen, vt traditum est, mercedis loco deportauit, a duobus iuuenibus tum euocatus, quum triclinium supra

*) Vid. Neue Biblioth. der schoenen Wissenschaften und der freyen Kuenste. Vol. III. P. I.

pra conuiuas corrueret atque contunderet. y) Laudantur ab his, culpantur ab aliis, egressiones dithyramborum, aetate nostra editorum. z) Mihi quidem videor subscribere velle iustissimae sententiae censoris Berolinensis, a) quippe qui merito notat, poetam interdum per ambages nimium latas ad Bacchum excurrere, interdum ad carmina deum trahi inuitum. Etenim omnino debet natura vel exspatiantem poetam manu ducere in deuia etiam loca, ars vero nube quasi, vt dea, maxime occultari, ne quid adpareat quaesitum. Quae licet verissima sint, ita, vt ex omni parte illas dithyramborum excursiones probare nequeam; nihilo tamen minus pro aequitate mea Bacchum obsecro, qui pro parte mercedis atque laudis, poetae propter illas digressiones detractae, tamquam Simonidi, lautissimis conuiuiis non auocet eum, sed absque omni vitae periculo adesse iubeat, imo optimi florem vini poculis eius liberaliter infundat. Nunc felicissimarum digressionum exempla non pauca adscriberem, nisi fecisset otium conscripta superiore anno *de digressionibus poeticis* b) dissertatione, quum noster adhuc esset, FRIDERICVS GOTTLIB BARTHIVS, cuius opusculum perlegisse neminem poenitebit, qui huius vmbrae naturam recte voluerit indagare. Nec desunt pictores, sine vnitatis

y) PHAEDR. IV, 24. et QVINCTIL. *Inst. Orat.* XI, 2.
z) *Dithyramben: Berlin*, 1766.
a) Allgemeine deutsche Biblioth. Vol. V. P. I. p. 38.
b) Viteb. 1766.

tatis detrimento venuste ad alia digressi in linteo, quos adducerem, nisi melius esset studendum breuitati.

Nihil obstat, quin in carmine vmbra etiam duci queat per *deminutionem* siue ταπείνωσιν. Intelligo eam figuram, quae magnitudinem rei colorum leuitate minuit; qualem in modum pictor vnius formae lumen proprium tonis minuit leuioribus. Finis est, vt res vicina alterius incommodo iterum sibi pariat commodum. AMMIANVS, poeta graecus, pro lepido ingenio, quo floruit, iucunde hanc vmbram miscuit. c) Etenim ille, PROCLI deformitatem lusurus, homini nasum classicum atque inter omnes antesignanum tribuit, eumque porrectiorem, quam vt emungere se, vel sternutamenti sonum exaudire subito potuerit. Per ταπείνωσιν igitur poeta manum iusto breuiorem auresque nimium remotas fingit, quo nasus omnium membrorum summus emineat imperator.

Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν.
Τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
Οὐδὲ λέγει· Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ. οὐ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινὸς· πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

FAMIANVS STRADA hoc epigramma ita interpretatus est:

Non potis est Proclus digitis emungere nasum,
Namque est pro nasi mole pusilla manus.
Nec

c) ANTHOL. II, 13, 11.

Nec vocat ille Iouem sternutans: quippe nec audit
Sternutamentum; tam procul aure sonat.

Ecce hyperbolen in naso giganteo, deminutionem in manu potissimum! Haec tamen figura ad verba praecipue spectat, dum in carmine color saepe minus adumbrat, quam intelligi vult, verbumque contrarium adfertur per λιτότητα, vel lenius per euphemismum, vt sumitur vir nescius fallere, vitio carens, sceleris purus, pro viro bono; coeca nox, pallida regna, vmbrarum domus orcum volunt intellectum. Alia dedit VOSSIVS exempla suis locis.

Noli mirari, quod de *gradatione*, quae voce graeca κλίμαξ adpellatur, altum teneo silentium. Quam si curatius examines, magis illa pertinet ad ornamenta lucis poeticae, quam ad vmbras. Sed quia sensim crescit lucis elatio, numero primos gradus, quia color inest temperatus, inter vmbras leuiores. Pluribus autem de gradatione agam, vbi *penumbram poeticam*, quae optime potest e re pictoris transferri, singulatim persequar.

Nec desunt alii figurarum modi, qui poterant ad hoc caput trahi; iuuit autem praecipuos leui pede attingere. Multa etiamnum de *tropis* dicenda erant, que huc pertinerent, quamuis ad colores lucidos referantur vulgo. *Metaphora* nimirum dum vocem impropriam substituit pro voce propria, res duas profert in conspectum, alteram, quae vmbra est, alteram, quae spargit lucem. *Siluae filia nobilis* vmbram ponit arbori, e qua nauis est fabricata, vbi synecdoche reperitur simul, quia pars est pro

toto collocata. Non aliter se habet adfectio metaphorae, *allegoria*, quae, metaphoram per integram sententiam ac per totam carminis seriem continuando, vmbram condensat. Quis nescit, factum id esse ab HORATIO[e]) in carmine ad BRVTVM, ciuile bellum reparantem, vbi res publica, quod ipse QVINCTILIANVS censet, in vmbra nauigii delitescit, quocum etiam CICERO rempublicam comparauit? Sicut autem allegoria, per integrum carmen ducta, facile degenerat in aenigma obscurissimum, cautius ea vtitur poeta. Namque videmus in excitato HORATII poemate, quantum eruditi omnem aciem oculorum intendant, in vmbra crassiore verum argumentum cognituri. Vidit hebes oculorum sensus HARDVINI IOANNEM BRENNENSEM, Comitem, Byzantium nauigantem; vidit lippus alius patrem HORATII filium adloquutum et adhortatum, vt partes Bruti desereret Augustumque sequeretur. Quid? quod alius, qui visum habet acriorem, in hac oda interpretem HORATII obliquum conspicit, fictaque eumdem imagine ludit iucunde *f*)? Cur interpres iste sinister aliquid viderat, quod in cernendi sensum hoc loco non caderet? E reliquis tropis maxime Ironiae mentio est facienda, quae diuersam ab oratione voluntatem occultat loco opaco; pingit enim contrarium illius sententiae, quam vult intellectam ex vmbra. Talis est in oratione DIDVS, AENEAE perfidiam accusantis *g*) — *En*

e) Lib. I, od. 14. *f*) Vid. KLOTZII *Perillustris Vindic. Horat.* p. 129. *g*) VIRG. Aen. IV, 597.

— — *En dextra fidesque!*
Quem secum patrios aiunt portare penates,
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem.

Cui similis est Iunonis adloquutio, vbi secundum morem infestarum mulierum per Ironiam Veneri obiicit caussam, cur Dido, Aeneae amore incensa, opus vrbis condendae imperfectum reliquerit: *h*)

Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque tuusque puer: magnum et memorabile nomen,
Vna dolo diuum si femina victa duorum est.

Troporum adfectionibus praeter eas, quas digito iam tetigi, se mihi adhuc offert *emphasis*, illa scilicet, quae exponitur a QVINCTILIANO *i*) virtus, altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Quum duae eius sint species, de priore nos hoc loco disputamus, posteriore, (quae id etiam, quod non dicit, effert,) supra indagata, quum ἀποσιώπησιν tractaremus. Illa vero, quae plus significat, quam dicit, obscuro colore sensum ampliorem imbuit. Laudauit QVINCTILIANVS *k*) illam HOMERI emphasin, quum Menelaus optimos Argiuorum viros *in equo* (Troiano) *sedisse* dicit, nam vno verbo latitudinem eius exprimit. Quanta enim machina cogitatur, quae commodas tot viris sedes dare potuerit. Respicit autem hos versus: *l*)

h) ibid. v. 93.
i) l. c. VIII, 3. extr.
k) l. c.
l) Odyss. Δ, 272.

Ἵππῳ ἐνὶ ξεστῷ, ἵν' ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι
Ἀργείων.

Eodem modo per emphasin altitudinem huius equi HOMERVS alio loco infra ostendit per descensum in hunc equum. Etenim Vlysses ait:[m])

— — εἰς ἵππον καταβάινομεν -- --
Ἀργείων οἱ ἄριστοι.

Agnoscit hanc emphasin etiam DIONYSIVS HALICARNASSENSIS in elegantissimo libro de HOMERI poesi. Quam elegantiam noluit VIRGILIVS[n]) praetermittere, | virosque per funem in machinam demissos perhibet:

Demissum lapsi per funem.

Quanta moles equi cernitur in his verbis, quae plus occulunt, quam primo obtutu declarant! Viden in hac vmbra machinam, quam poeta supra lucidis coloribus expinxerat, quum Danai

Instar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas?[o])

Quam multa vident pictores in vmbris, in eminentia, quae nos non videmus! Liceat illud CICERONIS[p]) ad poetas adplicare. Quoniam vero satis multa dixi, est mihi perorandum, et cum illo pastore Virgiliano dicendum:

Requiesce sub vmbra.

§. 27.

Vmbrae et obscuritatis distinctio.

Sed manum de tabula nequeo remouere prius, quam cautionem addiderim, maxime necessariam

m) Ibid. Λ, 522. n) Aeneid. II, 262.
o) ibid. v. 15. p) Acad. IV, 20.

sariam poetis quibusdam nostratibus, ne inconsulte ac temere vmbram cum tenebris permutent, vel ab ea suam velint excusare obscuritatem. In vmbra temperantur colores, vel, si malis, carmen parte lucis priuatur. Cessat vero lux omnis, siue priuatio lucis plena est in obscuritate, qua, quoniam cum fine poetae pugnat primario, et carmen intelligi ab aliis prohibet, vitium, nescio, quod maius in artibus elegantioribus cogitetur. Monstrum horrendum, cui lumen ademtum est, obscuritas scilicet, cuncta obuoluit noctis quasi tegumento, neque conspectui relinquit lucis radios necessarios. Sed vmbra non plane est sine luce. Habet vsum tenuis pepli, pectori foemineo obducti, quod partes velatas non plane oculis curiosis subducit, sed patitur aliquantulum per ipsum peplum alborem pellucere, maioremque ornatum ad partes nudas accedere. Eadem ratione, qua opponimus vmbram luci, caligo est aduersa perspicuitati. Notum est, quantum antiquis obscuritatis caussa vapularit CINNA, cuius carmina, si fides habenda MARTIALI q) aduersario eius, non legebantur, CINNA viuo, et cuius *Smirna*, per nouem annos elaborata, paullo post mortem eius non amplius intelligebatur. r) Noli igitur habere pro vmbris spissas eius tenebras, quas ipse consulto lucis voluit esse expertes. Neque vmbram velim adplices ad opus difficile

LYCO-

q) MART. III, 9. coll. X, 21.
Versiculos in me narratur scribere *Cinna*.
Non scribit, cuius carmina nemo legit.
r) IOSEPH. SCALIG. Castig. in Catull. p. CXI.

LYCOPHRONIS, tragicorum obscuriſſimi, tum propter verba, quae, ad cogitata mentis aperienda, dilucida non ſunt, vix ab homine audita, tum propter res ipſas, longiſſime petitas e fabulis minus notis, in quibus deſudant explanandis ac diſcruciantur lectores, ita, vt ipſe *Caſſandrae* interpres, G. CANTERVS ſummo iure poema illud τὸ σκοτεινὸν ποίημα adpellatum confirmet. *s*) Vmbram poeticam qui vult facillime dignoſcere a tenebris, ad SCALIGERVM *t*) et BAVMGARTENIVM *u*) remittendus eſt. Operae enim pretium duco, vt iuſtos vmbrarum fines quisque ſciat, et, ne quis, captus oculis poeticis, vel iſtum ornatum putet obſcuritati patrocinari, et, ne ipſos nos, qui vmbram ſuademus in carmine, ſimiles iudicet illi praeceptori *x*), qui diſcipulos ſuos omni ſtudio ad obſcure ſcribendum adhortatus eſt; qui non raro conclamauit: *Tanto melius, ipſe non intelligo;* qui ſcholas aperuit et clauſit aureo praecepto: Σκότισον, Σκότισον.

s) Praefat. ad LYCOPHR. *Caſſandr.* *t*) Poet. p. 444.
u) Aeſthet. P. II, Cap. I. Sect. XXXVIII.
x) QVINCTIL. Inſt. Orat. VIII, 2.

Pag. 26. lin. 7. lege *promiſſum.* l. 10. l. *exta.* l. 13. l. *eorumque.* p. 30. l. 24. l. *remotiore.* p. 39. l. 22. *occulit.* p. 60. l. ult. l. *clauſtra.* p. 74. l. 21. l. quae *non* ſunt. p. 76. l. 22. l. *famelicus.* l. 26. l. *comiſſationumque.* p. 82. not. l. 24. l. *propterea.* p. 86. l. 13. l. delectat *nimium.* p. 87. not. o l. 3. l. qui *bene.*

Fr. Keppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825580188/phys_0127
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn825580188/phys_0128
DFG

REM BARLAEVM, ali[illegible] omnia de-
lectant, ſed, vt praed[illegible] TELES, [t])
τὰ εὖ ᾐνιγμένα ἡδέα. [illegible] orum, qui-
bus vate opus eſt, non [illegible] quibus ſol-
uendis, vel magnum [illegible] occupatur
ingenium, [u])

Ὃς τὰ κλείν' αἰνίγμ[illegible]
Qui ſoluit inclyta a[illegible]

§.

Vmbra

Sed mittimus Sphing[illegible] entem eos,
qui problemata non d[illegible] cedimus ad
vmbram minus pericul[illegible] doxon, ſiue
ἀπροσδόκητον, quod ſ[illegible] rie ornat,
dum non ſolum prodeu[illegible] pectata, ſed
etiam praeoccupant lec[illegible], vt ſuſpen-
ſus teneatur, et quaſi i[illegible] co verſetur
ante, quam lumen ſent[illegible] tur. Vm-
bra igitur ſpargitur, vt [illegible] a videantur
ad tempus, quae, pro[illegible] ata eorum
veritate, mouent admi[illegible] Quo maius
eſt incertum, in quo re[illegible] maior eſt
vmbra, eoque eleganti[illegible] ſententia.
Habes exemplum in e[illegible] raeco, vbi
laudes puellae, ingen[illegible] venuſtate
florentis, ab antecedenti[illegible] udita erant,
et

s) VOSSIVS aenigmat[illegible] umerat l. c.
t) Rhet. III, 11.
u) De OEDIPO EVRI[illegible] v. 1747.